...ski.

Kwiatkiewicz Jan

Polonae Societ. Jesu Laurus prodroma ad coronam seu Carmen Triumphale –


CARMEN TRIVMPHALE
LAVRUS PRODROMA AD CORONAM
Victori Orientis Sereniss IOANNI III Regi Pol
A Polona Societate IESV dedicatum

LAVRVS PRODROMA
AD CORONAM,
SEV
CARMEN TRIVMPHALE
VICTORI ORIENTIS,
SERENISSIMO
INVICTISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI
IOANNI III
DEI GRATIA
REGI POLONIARVM,
MAGNO DVCI LITVANIÆ
Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ,
Podlachiæ, Podoliæ, Livoniæ, Smolensciæ,
Severiæ, Czerniechoviæ, &c. &c.
ANTE REGALES CORONAS
Sæpiùs Cosaticâ & Tauricanâ,
Nuper Othomanicâ Laureâ ad Chocimũ
CANNAS TVRCICAS
CÆLITVS INSIGNITO
Vniversale tunc armorum regimen obtinenti,
A POLONA SOCIETATE IESV
Inter prima Regni auspicia
DEDICATVM
Anno natæ Orbi Salutis
M. DC. LXXIV.

Plus est in Duce, quàm toto Exercitu.
Tacit. de morib. Germ.

Gloriosiùs nemo Regnum, quàm Victorijs obtinet, Purpuraqué illi maximè decôra, cui plurimùm rubet hostili sanguine. *Neoter.*

AD SERENISSIMVM ac POTENTISSIMVM PRINCIPEM,

IOANNEM III

DEI GRATIA

REGEM POLONIARVM, MAGNVM DVCEM LITVANIÆ &c. &c. &c.

Dominum Clementissimum

PROPHASIS PANEGYRICA.

I*Terum Tibi barbarus Oriens in arena sistitur, sed iam mitior & ligatus,* REX INVICTISSIME. *Arenam defixit in pagina, ubi etiam bella tunc geruntur, cùm geri desiêre. Nā etiam cùm sopita est ferro barbaries, adhuc illapsa calamis recrudescit; semelq; hausta nominis perinde ac labiis immortalitas literis ævum prorogat, per quas cogitur ætatem ferre. Furit quidem adhuc in pagina Mars barbaricus; sed sunt contra furorem hunc vincula, in quæ triumphalis illum Apollo compingit; & insuper cogit mansuescere, dum terrorem latè provehit Tuæ Ducalis antea Clavæ, nunc Sceptri etiam Sarmatici Maiestas. Ut verò caneret classicum imbellis pagina, vocale Tuæ famæ præconium, & Heroæ Virtutis prodigia persuasêre. Semper euntium annorum conscientiæ arma hæc in charta obstrepant, quæ tuum Victorem gladium, Victricesq; tanti Principis copias à vulgaribus vincentium metis discrevêre. Breve virtutis stipendium est, si non ultra armorum silentium Fama processit; vel à situ oblivionis periculum reformidet, cùm nullum ab hoste cæso pertimuerit. At fasti vetant emori & oblivia proscribunt, quamdiu pulchri facinoris gloriam armato Apolline loquuntur; ut noverit in gloriæ patrimonium itum hæres Ne-*

potum ſeries, quantis Heròibus, felices poſteri ſucceſsêre. Et meruit ætatem militare Principis virtuti iuſſa felicitas, quæ dum Oriente pænè occasũ gloriæ pati iuſſo, ignes Tibi excitat triũphales, pluriũ retrò Ducum encomijs antecurrit. Non enim prælia thaumaturgo Marte conficis, ſed adornas prodigia; ibi etiam Pæanem violento virtutis imperio extorquens, ubi vel armorum hoſtilium robur pugnaces animos, vel numerus oculis ante collatas acies victis, vincendi fiduciam infregiſſet. Erat, quod in palmaribus Ducum geſtis vetus coronaret ætas, ſed in campo vicêre: latior ijs ad auguſtal victoriæ trames patuit, quam per vaſtos camporum ambitus triumphali manu prenſaverant; Verùm arctius Tibi ſpatium effracta hoſtium caſtra deſcripsêre, ac infuſa barbaricæ foſſæ procella, Heròicis vix auditam ſæculis laurum ingeſſit. etſi omnibus elementis barbariem oppugnares; in terra, igni ferroq́;, alibi Neptuno Commilitone uſus; dum in Tyra, violatam fæderum religionem naufragio mulctares, non obliteraturis fluctibus tam nobile decus impreſſurus. Et neſcio an fidem poſteritatis non ſit debilitatura triumphandi arduitas: Nam in plerisq́; fidem oppugnat immenſitas ipſa rerum, quibus credulitatem id abrogat, quòd ad ſuarum virium imbecillitatem alienæ Virtutis præconia explorent; nec fieri potuiſſe autument, ubi ſuæ fortitudinis ludibria timuiſſent: Sed fluctuare fidem facinoris non ſinet, quisquis vel Tuum, vel Procerum leget nomina, quos in communionem gloriæ, publicæ tranquillitatis amor, & Martiæ laudis ſtudium pertraxerat, pari armorum gloriâ Sarmaticis in hoſtem Aquilis involantibus, ac Lituano Equite tũc in laureas irruente. Quas non fregiſſent copias Cæleſtibus nixa ſuppetijs tot Heròũm, Te Summo armorum Duce, conſortia? an illis Barbaricæ non affunderentur Lunæ, ſub quibus eclipſim occaſumq́; nominis Oſmannus pertulit? Maior eſt purpuratæ militiæ fulgor, quàm ut in eius vicinia Luna hæc diem ferat. Tibi tamen carmen hoc triumphale primum inſonet, qui toties fatiſcentem Patriam canere cogis epinicion. Annus ſuperior Tibi de Tauricana ſtrage arcus triumphales erexit, dum ab Euxino immiſſam tempeſtatem malorumq́; diluvia palmarum conſcio Marte coërceres. Huius verò prælij, felicior exitus

totâ

totâ penitus ſuî mole Tibi, Regum Invictiſſime incubuit, cuius imperio, & præſago victoriæ instinctu cõflictus coaluit, Tuis (quæ bella quãdoq́; citra uſum armorum conficiunt) conſilijs temperatus. Avulſa hoſti Moldavia in armorum fædus nobiſcum conſpiraverat? Te arbitro pulchra hæc Martis divortia contigêre. Scythicus Tanais barbaro in ſuppetias non affluxit? nuper acceptæ cladis conſcientia volatici Martis impetum repreſſit, arcana Principis molitio retardavit. Ita præliis, ita hoſtium incõſultis conatibus & fortunæ pro imperio moderaris, qui pacis belliq; artibus tot eventuum flexu inſueviſti. Nempe Ducis eſt Ulyſſem conſilio, manu Diomedem exprimere vel Aiacem. Domi habemus Oracula, quoties publicæ rei momenta Tuæ mentis arcana in ſententiam excivêre: at verò triumphali Sago Te idoneum probârunt trophæa & arma Gentilitia; quæ patentem ad victorias Campum, vereq́; Campum Martis (quo nulla felicior arena) Tibi indidêre. Quamvis ubiq; non ſterilis arena victricem herbam Tibi protulit, dum manum conſereres, & campum aleret eſudatus humor prænobilis, vel quem barbari cruoris procella effudiſſet. Meminêre Podhàécenſes, meminêre Narolienſes, Niemirovienſes, Comarinenſes, Kaluſſienſes campi; quibus nulla ubertas pulchrior glebam extulit, quàm dum in laurum Tibi culmus adoleſceret, atq́; à vetuſtis Poloniæ Ducibus Regibusq́; Te ſolâ temporum ſerie, non vincendi artibus diſtingueret. Equidem nuper trium pænè horarum ſpatio tot ſæculorum Hiſtoriam dediſti, momentis conſtare volens victorias, quæ alibi annorum myriades Marte gratuito fatigâſſent. Atterere Orientem paucis poſt Alexandrum contigit; ſed tantillo tempore tamq́; luculentâ clade, vix adhuc ulli. Odit moram Tua in vincendo pernicitas; nec Cunctatorem Romæ invides, cui ſecura laudis celeritas palmam offert. Dederit Fabio quondam cunctatio, ut Imperij Scutum vocaretur; Nomen hoc pridem cum Ceris Tibi Regalibus inhæſit, & fidem Gentilis Symboli eventus aſſerit triumphalis; etſi moram in vincendi arbitria non admittis, quòd Fabijs vix egeat tam ſolerti conſilio ſuffulta felicitas. Quamvis & Imperio tutius ſit munimentum, quod remedij tarditatem Martiæ virtutis ſtylo proſcripſit: & ſalutis publicæ cunctatio rarò in faſtigium laudis penetravit.

travit.

tnuvit. Nec Tibi cum lectiſſima Procerum coronâ placuêre lenta Barbariæ fata ; in celeritatem victoriæ conſpirâſtis : ruere coactus Oriens, dũ irruitis ; & illa tempeſtas bellica virtutis oppreſſa prodigio ſubitam laurum tulit. Hinc quando Tibi, quando utriq; exercitui triumphum canit Patria, canat & pagina. Nimis ingratæ emeritis Victoribus forent literæ, ſi vel atramento ſanguinem non refundant. Sudet Apollo ; ac, ubi cruorem Mars elicit, cum Tyra etiam Hippocrene fundat Panegyres. Neq; imminuat fidem eunti ſæculo Pòéſis, cuius tunc fides tantùm vacillat, dum ſe ad Hiſtoriæ indolem non componit. at hæc Hiſtorica Pòéſis eſt : quæ dum arma Viroſq; canit, prælia non Parnaſſi ſomnia deſcribit, commentitias Panegyres ſtylo veritatis expungens. Quare & modus carminis & enteus eſt, qualem arma & Veritas requirunt. Lucanum aliquâ parte premit, ſed prælij felicitate ſuperat. Non hîc quidem Civile armorum diſſidium præbet Pharſalia ; tamen tot Magnos, quorum Tu Maximus in Throno emines, armato in oblivionem tot Nominum metro memorat, quot Heròás Regni & Magni Ducatûs purpura obiecit. Quidquid tamen non tam felici Apolline hîc decantatum, quàm Marte geſtum eſt ; in Victoris amplitudinem id devolvendum, qui maieſtate argumenti poſt cæſum Orientem adhuc opprimit ingenia, ut ſuccumbant. imò facti maior eſt gloria, quàm Scriptoris, etiam ubi Virtutem ſtylo adæquaret : nam maior armorum acies, quibus ſolertia Ducis intervenit, quàm calamorum. Inde tamen veniæ ſecura eſt metri tenuitas in ſoccum deſinens, ubi cothurno parabat inſiſtere ; quòd dum in perennitatem famæ triumphale facinus ire iubet, tranſlatæ in paginam victoriæ novitate ſæcula erudiat, poſſe quasuis etiam vires convitium pati, ubi tanto Duce, tanto Principe, Miles ac virtus pulcher commilito in lauream conſpirârit. Denique, quòd in lucem eat hæc umbris ac nocti concolor lucubratio, Tuo nutui debet, cui ſole ac publico interdici vetuiſti; ſatisq; illi plauſuum ab eruditiſſimæ Maieſtatis ſuffragio: Quam dum tributarius magnis Nominibus, inprimis verò TVÆ Maieſtati Apollo adorat, eidem pariter continuam trophæorum ſeriem, ac perpetuitatem tot Cæli fortunæq; munerũ apprecatur ex voto obſervãtiſſimæ tãti Prĩcipis

minimæ SOCIETATIS IESV.

CARMEN TRIVMPHALE.

EDomitum bibe, Penna, Tyram : ſic Biſtone tabo I. Materia carminis Lurea victus.
Potus Mucro iubet. Quid enim tibi ſepia chartæ
Tingat ebur pallente Thety? vel fluctuet atro
Canna vado, madidæ fuliginis ebria limo?
Dat latices Aurora novos, ac decolor undis Ad Tyrã fluvium.
Biſtonia de cæde Tyras, dum Lechica vindex
Arma ciet Mavors, & Threſſæ ſontica Lunæ
Cornua triſtè premens pulchri calet ira Gradivi.
Horret adhuc Eòús ager, Beſſiq; cruentus In Dacia ſeu Vallachia.
Illuvie, Lechidûm Dacis palmaria Sulcis
Imprimit, & rubeas vult nomina ferre novales.
Quod ſi Carpatias laurus vaga claſſica Famæ, Fama id latè canet;
Victriceſq; Aquilas, Libyci trans torrida Cancri
Regna ferunt, vel ubi pronum Titania condunt
Lora diem, flavumq; premunt iuga Romula Tybrim ; Canat & Pòéſis,
Nec Latium ſquallebit ebur, lituiſq; bivertex
Reſpondebit apex, Daphnæaq; ſerta reclinis
Mutabit meliore comâ ; licet altius inſit
Fronte decus Lechidûm vinctâ victore Corymbo.
Nec Phæbo Mars victor eget : dabit enthea miſtus Quæ nõ Phæbo hîc, ſed Marte eget.
Thrace fluenta Tyras. graviore per arma Camænâ
Nam levior negat ire latex. Tu, Lechice Mavors,
Quem Nuper gelidi tremuit Domus ardua Daci;
Tu mihi Phæbus eris. caleant, & Apolline pulſo,
Tota mihi torvum ſpirent præcordia Martem.
Sæpe canit Pæana ſcelus, primiſq; triumphat II. ORIGO BELLI Culpa ſæpè initio felix; Sed infelix hæc felicitas.
Auſpicijs, felix turpi molimine culpa :
Frontem blanda gerunt noxæ diſcrimina, pando
Quam recipit Fortuna ſinu, minitata ruinam,
Dum blanditur atrox ; nam turbine ſæva Serenum
Tempeſtas perimit: nocuitq; fuiſſe beatum.
Ipſa premit Fortuna nefas, plectitq; fovendo,
Et Nemeſim citat auſus iners, pavidumq; remordet
Cum iecur, ruptiſq; obſiſtit legibus æther.

Patet id in Turca fædifrago:

Thrax documenta dabit: cujus ludibria casso
Fædere passa fides, primis comes adstitit ausis,

Felix hic primò;

Et voluit florere nefas; puduitq;, Polone,
Virtutem iuga ferre tuam, tantumq; protervo
In memores ictæ fidei licuisse Gradivo.

Nam Anno 1672.

Per bissena redux teretes Hyperionis orbis
Traxerat Astra moras, & bis septemplice gyro
Zodiaci per monstra means deduxerat annum,

Violento Marte Cepit Podoliam.

Ex quo Threijciæ creverunt cornua Lunæ,
Intumuitq; novo despumans Bosphorus æstu.
Et iam Bosphorio quæ gens contermina Daco,

& Vkrainam,

Quæq; vagum bibit ora Tyram, quà pinguia glebæ
Culta secant Hypanis, gelidæq; Borysthenis undæ,
Rapta tuo gemuere iugo, Lunata Tyrannis:

& Camenecũ Podoliæ Propugnaculũ;

Podoliæq; Caput nullo quassabile ferro,
Caucaseis cùi iussa silex succrescere venis,
Et solidus prærupta lapis lambente diremit
Amne, vagis lymphæ cingens erroribus Vrbem.
His jures scopulis Camenecia Pergama pactos
De pretio cinxisse Deos, solersq; minaces
Naturæ ingenium durâsse in mænia cautes.
Sed rupem fregêre minæ, dum cedere fatis
Iussa fides lapidis, pluvioq; minacior igne
Insedit malèfida loco Thrax mænia Mavors.
Quis tum sacra pius coluit concentus, & Aris

Vbi Sacra ab hoste profanata:

Cælituum quis fulsit honos? quæ probra tulistis
Sacræ barbaricis temeratæ ritibus Aræ
Hæmonij Spelæa gregis? quas nuper odorus
Thure vapor, stabuli retudit mox Thressa Mephitis;
Nec vigiles posthac ussêre altaria flammæ!

Et Polonis infame vectigal imperatũ.

Nec tenuit sua frena furor, quin fæderis audax
In rupti pretium Lechidis immane tributum
Inderet, Edoniis sic vectigalia terris
Libera Sceptra volens, exhaustam Marte perenni
Gazam Memnonio cupiens servire Tyranno,

Sic vertigo capitis fortunæ coniuncta!

Mercariq; Tago pacem. *Sic nempe ferocit*
Ingenium, quod fata trahunt per devia. Stragi

Proxi-

Proxima vexatur Furijs, nec celat Erynnim
Mens æstro damnata suo: tumet ante ruinam;
Et furit insano, cui præceps imminet ausu.
Cruda gerit, quem dura manent; subitusq; ruentis
Fit fragor, ut tumido quæ Dædala penna volatu.

(Simile de Troianis)

Dardana sic armis pubes illusit Achivis
Palladio, Priamoq; tumens post Hectora cæsum,
Raptatisq; palàm gravis insultavit Achillis
Exuvijs, Grajæ tumidum minitata carinæ;
Cùm tacitis in damna vigil tua sudat Vlysses,
Troja, dolis, urgente Phrygum Diomede ruinam,
Arboreusq; facem belli succenderet, Argis
Dives equus, vastoq; dolus se inferret hiatu.

Hinc Poloniæ origo belli & Vindiciarum

Sed didicit fastus, quantum malè tempta ferire
Tela queant, vel quæ valido vibrat ictus ab armo;
Cum læsæ virtutis honos, Martemq; lacessit
Non bene culta fides, violataq; fæderis icti
Iura, vel illusis vindex pro legibus ira,
Et quæ dempta Sacris Superûm reverentia fanis.

Apparatus belli ex parte Turcæ;

Ergo novæ fluitare acies: glomeratur utrinq;
Cruda seges ferri: fervet truce Thracia motu
In clades armata suas; & nè quid iniquo
Eventu fera signa ferant, neû alea belli
Tristè cadat, primas vires Orientis in arma

Vbi miles barbarus selectior, tum eques,

Elicit: emeritus ferri has duraverat usus,
Et rabidâ mucro cæde calet, strictumq; minaci
Ense latus sontes terrarum in funera dextras
Erudit, haud uni dociles inscribere fronti
Fata, vel exhausto scrutari in viscere laurum.

Tum pedes ex Ianizaris.

Iam Cilicum cuneata Phalanx gravis ære Tagoq;,
Iam quatit arma furor, sævosq; Aurora maniplos,
Auctaq; captivo Bizantia robore castra,
Quod Latijs rapuêre plagis, Celtasq; nefandi
Imbuit ingenio feralis Enyo duelli,
Europamq; rudi pepulit de pectore pridem
Namq; tuis, Europa, viris & viribus urget;
Et crudelis Eos propriâ te mole lacessit,
Ædonioq; Duci spes non incerta triumphi

Pectus

Pectus alit; Rhodijs fiducia crevit in armis.

Castra fixit ad Chocimũ Arcem Dacicam.

Sed tulit hoc sævi violentior alea fati,
Odrysiæ quòd ibi micuêre per aëra Lunæ,
Fixaq; Chocimio steterint tentoria campo,
Barbarico rubuit qui decolor antè cruore,

VbiOsmãnus Imp: Turcarum cæsus à Polonis Anno 1622.

Ac ubi Bistonijs albentes ossibus agros,
Et Geticâ Cererem sanie, sulcosq; fluentes
Liquerat Osmanni rabies, fatalibus arvis
Iussa referre retrò longi nisi dedecus ævi.
Nec satis infami signâsse novalia busto;
At Mysiæ renovare probrum, placuitq; cruentâ
Eluvie, Auroræ roseum geminare pudorem,
Et consanguineas campis adjungere clades;
Ceu veteris plagæ caperent oblivia labem,
Ni repetita fidem subeunti gigneret ævo,
Et nova firmaret veteres victoria laurus.

Descriptio loci & sitûs Castrorum Turcicorum.

Est locus Eoi spectans cunabula Phœbi,
Flammigero cùm nata dies temone supinat
Solis equos: hîc uber agrum prædivite gleba
Dacus aratra pati, docuitq; ferace subactis
Vomere Triptolemi sata læta refundere sulcis.
Hinc arcem, rigido quæ fertur in ardua clivo
Chocimius prospectat ager, præcepsq; bicorni
Volvitur amne Tyras, quo Dacica culta refusus
Humor alit, Lechicumq; vado disterminat axem,
Euxino tandem sua condens nomina Ponto.
Arma vocat natura loci, viruitq; triumpho
Herba ferax, serpsitq; comâ pro Lechide laurus,
Strymoniæ quando Superis ludibria Lunæ,

Oratio Barbari Ducis HussiemBassæ ad suos,

Et Thressæ placuêre neces. Huc acta per Istrum
Agmina vix toto Mars barbarus extulit Hæmo,
Ductor Othomanidûm, perituris illa catervis

Cur hîc castra metetur.

Ingeminat: *Placet hîc lectum defigere Martem,*
Parrhasijq; loci probrum delere ruinâ,
Fatorumq; abolere nefas. non irrita mentem
Omina, nec dubiæ quatiunt præsagia laurus.
Alternat Bellona vicem plantare vicissim
Sueta parentales illic Proserpina taxos,

Vnde triumphales repsêre in tempora frondes.
Hîc lassus respiret eques: dat Martia Dacus
Arva secuturis spatium par nacta trophæis.
Ipse Tyras auctum subitò mirabitur amnem,
Nec ripæ patiens haustâ sese efferet Arcto
Alveus, ad Martem stimulans præcordia famâ.

Parent Barbara signa Duci;

Dixerat Eous Ductor: fera paret Enyo,
Ac ingens quatuor stadijs diffusa resedit
Belli tempestas: validis firmata lacertis
Castra locat: subitus congesto cespite valli
Surgit apex, quod serva gravi manus aggere cinxit;
Hoc spatio, turpi spatium metata sepulchro.

III. Sed frustra agunt.

Et poteras, lymphate furor, quassare Trionem,
Quem gelidus pigro radiavit in axe Bootes;

Concordibus domi Polonis antè per dissidia scissis,

Iam Cynosura gravi gemuisset compede; verùm
Nexuerant Aquilas tranquillo iurgia regno
Pulsa, reduxq; subit rursum præcordia virtus:
Sic nexos vicisse nefas. *Divortia regno*
Fata parant, dubioq; minax discordia Marti.
Quos nectit meliore iugo vis una, triumphum
Certa capit. Vires solidat coniuncta potestas,
Et geminant socio consortia fœdere robur
Haud opis externæ patiens, par mille Darijs.

Quibus arma suasit tum infamia exacti tributi,

Quin etiam dedit arma rubor, nec deside ferro
Non pudet exacti toties meminisse tributi:
Mæret & avulsas Patrijs Aquilonibus Vrbes,
Ac viduus dolor arma quatit. Nec Numina nostros

Tum jactura Provinciarũ;

Aversata focos, quibus ubere deplua fato
In caput Æmonium gravidam fudêre procellam.

Et Spem laureæ injecit tam supplex Christianitas pro Polonia,

Id fusæ meruêre preces, longisq; per Orbem
Supplicijs cessêre minæ: Iovis ignibus obstant
Vel lachrymæ, pia Roma, tuæ; tua vota secundas

quàm Supremi Ducis virtus & Fortuna.

Obtinuêre vices, & laurûs omina solers
Addiderat Fortuna Ducis, virtutis amico

qui deScythis ad Niemirovum & ad Comannum,

Fœdere nexa simul; docuitq; id Taurica laurus
Rapta Getæ, peteret cùm barbara vulnus Enyo,
Atq; Comarnensem sanguis fœdaret arenam,
Quo Scythicæ rubuêre nives, pharetrisq; subactum

Fluxit triſtè nemus, nec ſpicula reddidit arcus,

& Kałuſſiam glorioſè triũphavit Anno ſuperiore

Atq; Caluſiacæ maduerunt ſanguine valles;
Et rediit jam tum calvis reverentia ſylvis,
Quas petit amiſſis volucrum dum ſponte lupatis
Cornipedum, per teſqua ruens, per & invia ſaltûs
Hoſpes, ab arbuſtis latebras petiiſſe coactus
Sylvarumq; fide. at profugo vix ulla latebram
Sylva dedit Dryadumq; domus ac denſa ferarum
Luſtra; Salicta graves ubi diffregêre bipennes,
Arborei patuêre ſinus ſcrutantibus armis,
Et palmam dare Sylva ſciit: dumeta decoras
In laurus virtus Ducis effrondere coêgit
Fæta Operum, Famamq; tulit SOBIESCIVS ævi
Sarmatici tutela Sagi, certuſq; triumphi

IV. Hic Dux occurrit hoſti cum victore exercitu: Adfuêre & Proceres Regni ac M. Duc: Lithu: & flos Nobilitatis: Duces Exercituum quatuor, duo Regni, duo M. D. Litu.

Seû regerat, ſeû tela vibret potiore lacerto.
Hic Lechidûm Princeps ſævis ultro obvius armis,
Dacica patritas ductabat in arva cohortes.
Non humiles fluxêre animæ ſub pulchra Lechæi
Signa Ducis: primi trabeata è ſtirpe Quirites.
Et Procerum primævus honos, armiſq; Curules
Et Toga miſta Sago, pulcherq; quaternio præit
Antè Ducum, veluti foret Optio libera Beſſo,
Quâ cuperet cecidiſſe manu, cûi barbara plantam
Cynthia victricem pallenti lamberet orbe.
Altior interea Superis Sententia ſedit,
Mygdonis Arctoo dum nomina ridet in oſtro,
Bis geminis patuit tumor hic obnoxius armis.
Sic tibi nunc etiam numeratur plurimus Hector
Lechia: ſunt Tanais, metuat quos torva Propontis;
Neptunumq; tumens oppreſſo Boſphorus æſtu

V. Conſultatio Caſtrenſis de hibernando in Vallachia:

Sentit, nec dubium ſequitur Victoria Martem
Romula cûi veterem repetant Capitolia pompam.
Ante ſed impulſi felicia cæpta duelli,
Quo daret ultrices rupti Mareotica pænas
Fæderis, & veteres geminaret Dacia Cannas,
Sarmatico placuit ſedem decernere Marti.
Explorare Ducum dubiis oracula rebus

Omnium cõſenſus & Oratio.

Antè libet: vario nec mens malè fluctuat æſtu
Conſiliis aliò ſtudiiſq; abrepta; ſed una
Belligeri fremuit vox interfata Senatûs:
In Myſiam Proceres. belli quid lenta moramur
Otia, nec ferri cupidas irrumpimus Oras?
Mars vocat & tempus, molliq; Arctoa Gradivo
Aura gravis. Rurſumnè placet per viſcera Regni
Arma pati, ſolioq; vagas irrumpere Lunas?
Quin Ales Lechidûm pugnacibus involet alis
In Rhodopen, referatq; vicem, Thracemq; reviſat,
Qui non quæſitus Lechidas exterruit hoſpes?
Illuc arma fluant, ubi barbara Signa fatiſcunt.
Parrhaſias iuvat his Aquilas inducere terris
Et fontes torrere focos, Iſtrumq; bibiſſe.

In hoſtico belligerandũ non Domi.

Quiſquis in hoſtiles Martem deduxerit oras,
Et Patrio metuenda Solo procul arma removit;
Hic ſapuit. Prima hæc Ducibus ſit cautio, bellum
Nolle domi. Procul à Patria benè bella geruntur
Hoſtem quære domi: Regnum ſtet Marte remoto.
Sic olim Carthago tulit, ſic Roma triumphos.
Sat trahitur cum Marte mali. diſpendia Sceptris
Auget, qui Patriis immiſit finibus hoſtem;
Et geminat Bellona malum, dum pervolat orbem
Annibal externus Sagunti incendia ſpirans.
Quodſi prona Tyræ Lunares oſtia turmas
Ipſe metus tranare vetet; quid Martia pubes,
Aut teritur Virtus? vaſtiſq; famelicus oris
Miles dedecori linquat fera prælia fato?
Vincet fæda fames quem non fregêre Coralli?
Ipſa etiam Fortuna ſoli, quo Dacia turget,
Urget opus, ſternentq; vias audentibus arma.
Quin Aſiæ gravior gelidæ vicinia brumæ
Arctica ſigna iuvat: gelidâ pugnabimus Arcto.
Aſperiore Polo torpeſcit Thracia virtus;
Noſtra calet, Boreâq; furens intenditur ardor;
Et geminat vires Cælo ſimul uſus & armis.
Hinc quid iners teneat torpor, tardetq; triumphos?
Inferat arma ſolo, quo condidit ante trophæa,
Quod decies fuſo gravidum tumet uſque Gelono,
Ac ubi laurigeris crevit victoria culmis,
Oſmannus iuvenilè furens dum funera quærit.

VI. In Vallachiã castra moventur:

Hæc Ducis, hæc Procerum vox & Sententia: Dacus
Est animis, prævecta Tyram rapit ora Polonum,
Et placet Ægæis turmas impellere castris.
Signa volant, rapidoq; Tyræ (quod garrula cantu

Tyras transmittitur:

Fama ferat ſeruſq; nepos) commiſſa natatu
Quadrupedum vada torva ſecant: ſinuata per altum
Arma fiuunt, fluctuſq; premit conterritus amnis.
Tantus in Æmonios exarſit militis ardor,
Nec tepuit fluvio, crevitq; in gurgite flamma!
Invehitur Dacis ſuperato vortice campis,
Et Myſiam Mavors Borealis inundat arenam.

(Simile de Annibale per Alpes movente)

Non aliter Latijs infuſus collibus Afer
Ardua devicit, cùm belliger arma cieret
Bella dolo ſocians, perjuroq; enſe ſuperbus
Annibal, & triſtes fluitarent Sanguine Cannæ;
Reme tuo: Libyæ nihil impenetrabile, cautes
Subſedêre, viamq; dedit non pervia rupes:
Non fuerant virtutis obex prærupta, ſed Alpes
Æternæq; nives Pæno tepuêre calore.
Sic & Patritiæ bella indixêre Phalanges
Fluctibus, & rapidam Thetyn incluſêre duello,
Atq; iugum docuêre pati. Volat impiger armis
Fluctu maior Eques totis immiſſus habenis:

Castra locantur prope barbaros,

Moldavicum premit hoſpes agrum, propiorq; trophæis
Martia caſtra locat tumido vicina Gelono.
Non gelidus Lechiæ Mavors ſic cominus hoſti
Viribus admotis Virtute trophæa requirit,
Nec dum bella placent, terrent hoſtilia. Nempe
Conſcia belligeræ virtutis, in ardua præceps
Mens ruit, & fracti ridet diſcrimina mundi,
Nec premit arma timor, faciuntq; pericula tutam.
Suaſit & arma locus, vel poſt tot luſtra, Gelonûm
Funereâ de ſtrage calens, piguitq; remotis
Solibus, hanc viridi ſine Daphnide figere molem.

Supremo Duce Ioanne Sobieski.

Nec Dux Lechiadum (Patrij quem ſigna Gradivi
Summo jure pavent, cùi formidata ſecundo
Omine bella fluunt, volitantq; ad claſſica laurus.)

Lentus agit poſcitq; moram, ſed in arma calorem
Concitat in tanti ſpirans molimina belli,

Ad magna perurgente.

Et licuit ſperare Duce hoc, hoc milite laurum.
Quippe comes virtutis honos, & militat omnis
Emerito Fortuna Sago. Vibratus in hoſtem
Mucro trophæa metit, dum grandior ingruit Hector
Hoſtibus atratas ſolitus plantare Cupreſſos.

VII. Belli auſpicia, obitus Regis funeſtat.

Sed tamen ô ſemper ſolidis inimica triumphis
Fata, queîs lachrymâ & vivis temerare fluentis
Fortiùs auſa licet, palmiſquè innectere taxos!

Adeo nec hoſtilis clades ſine jactura Principis!

Namq; agitante Lecho celerem Pæana, capaci
Quem petit à gladio, Regalia fila Sorores
Triſtè ſecant, tragiciſq; replent Regum atria leſſis.
Hinc tumuli Thracum ſquallentes oſſibus, illinc
Mauſolæa patent, trabeataq; buſta repandit
Trux Libitina domi: molitus utrinq; coloſſos,
Mars cum Morte vices alternaq; iura capeſſit.
Sic pertæſa ſui ſors nulli purior unquam
Affluxit nituitquè diu: ſed læta profanat
Luctus atrox, didicitquè diem ſpoliare Sereno.
Immoreris mundi ſpolijs Patriæq; triumpho,
Nec Pæana cani, pedibuſq; advolvere Lunas,
Dux trabeate, tuis licuit, K O R Y B V T E, Lechæi
Gemma Soli, Solijq: nitor! nec raptor Olympus
Sceptra teri voluit, niſi cùm perfringere poſſes

Glorioſum tamen Principi inter triumphos mori.

Arma, tuum totumq; metu ferientia mundum!
Sed cecidit, dum triſtè cadis: vel terror Eous
Ex animis tua buſta colit, cùi præcoce fato
Funereum mercaris epos: ne ſola ſuperſtes
Fama ferat Decios olim Diis Manibus ictum
Deſpondiſſe caput, fatiſq; emiſſe triumphos.
Sed vix Roma vetus, totum Capitolia plauſum
Vix caperent, quem tumba capit. ſpecioſior unquam
Vix, auguſte dolor, vitæ Regniq; Coronis
Eveniſſe quiit, quàm dum tibi lapſa cothurnum
Tollit Eos, ſtirpiſq; tuæ Dux Cynthia triſtes
Memnoniæ radijs Lunæ ſuperinduit umbras,
Cùi pro Zodiaco reſeras fatale ſepulchrum

Pene Regio capite constat hic triumphus.

Et noctem tenebrasq; pati post funera mandas,
Vnum jure querar, tanto quòd funere laurus
Parta viret, Regale caput pro clade reposcens!
Tantane te decuit quæri per damna, triumphe,
Vt pretium par sola tibi sint funera Regum!
Ad Lituos sed Phæbe, redi; dat classica Lechus,
Et lessos Pæane vetat frontisq; procellam:
Plectra recens Daci poscit Fortuna duelli,
Lætiùs attonitis juvat insudare Camænis.

VIII.

Dies conflictûs 11. Novembris S. Martino Episcopo sacra,

Scorpius aurato radians super æthera telo,
Virus in Odrysios fundens Titana gerebat,
Præsulcisq; dies aderat redimita tiaris,
Queis Turonenses nituit MARTINVS ad Aras.

Olim militi.

Bella geri placuit tanto sub Præsule, nempe
Cùi non antè sacræ jubar arsit vertice vittæ,
Quàm galeæ cristatus apex, & cassis ahena
Oppressêre comam: nec byssus Præsulis antè,
Quàm lorica latus; torvum Constantius Albim
Cùm quateret bello. pulchrum victricibus armis

Sub Constantino Imperatore.

Nomen id omen alit, quando pro Lechide palma
Miles hic arma rapit, tantoq; in milite nobis
Militat ipse Polus, veniuntq; ad classica Divi.

Educitur in campum miles,

Protinus imperio Ducis immortale viritim
Instauratur opus. non militis emicat ardor
Segniùs, ut cùi fama suos infuderat ignes;
Quiq; per offusæ tranquilla silentia noctis
Nuper ovans insedit eques fatalia Thracum
Castra Duci, capiens primis è cladibus omen.

qui 9. Novembris castra Osmanni antiqua insederat.

(*Namq; pares sors prima trahit persæpè meatus*
Fortunæq; prior comes est fortuna secundæ)
Laxat frena spei, spolijsque recentibus instat.

Tacitus (Vt prima cessêre sic fiunt vniversa.)

Hic subit humenti Iove deplua noctis imago
Et retegit sub nube diem. *Nam nimbifer umbræ*
Squallor agit pro sole vices, cùm nescia nubis,
Excubias Virtus, iratis circuit astris:
Nec molle est Virtutis iter: terit ardua fervor
Et carò venale decus. Præit Vdus Orion
Sudas ante faces, flavæq; repagula lucis:

Noctem intempestam sub dio vigilat.

Antè pluit nimbo, quàm missile depluat aurum
Obstrictum solidis cælum conatibus. Ergo
Oppugnat madidus generosos Iupiter artus,
Ceu molli cessura foret gens algida nimbo.
Pigro rore tenax mollescit arena, subacto
Fæda luto, suadetq; per invia prendere palmam.
Astra madent, conditq; vagos vapor uvidus ignes:
Sed vigil exstincto radiabat Lechia cælo,
Et somnos docta arma pati, vel ducere pulchram
Iussa per excubias galea nutante quietem,
Nec segnis sopor arma tenet. Ducis aurea fandi
Vis prohibet tam molle jugum, cùi victus apertâ
Fronte sopor, cæliq; graves, ac nubilis atro
Ira supercilio, primos dare visa triumphos.

Suasu Ducis.

Et placuêre oculis insomnia: pervigil arcet
Morphea Dux, seû suada gravi circumflua linguæ
In subitas intenta vices daret ardua nocti
Iura: *vel imperij vis maior inesset id auso*
Principis exemplo, quod miles inire iubetur.
Nam vigil excubias meliùs persuadet, adactam
Plumis cæsariem molli sepelire veterno
Spontè negans, plumâ potior dum Laurea poscit.

Et exemplo.

IX.

Instruitur acies:

Vicerat astra dies & abactâ nocte rigentem
Imbuit igne Iovem; famæ fatiq; feracem
Cùm ciet in campum Lechidas Dux belliger, arctâ
Threijcium robur cupiens indagine cingi.
Pondus inest verbis. grandes pars altera moles
Sulphureo fœtas tonitru deducit in orbem:
Pars laterum partita sinus immanè tonantes
In Thracem fusura focos: valli alite ferro
Cingitur omne latus: stat denso machina nimbo

Tormentis muralibus castra hostium cinguntur:

Ereptura diem, pluvijs Vulcania flammis
Tela gerens: levius parat ænea fistula fulmen:
Nulla parte vacat nitratus Mulciber: inde
Pars fossæ subit ima palàm, fractoq; laborat
Aggere barbaricis Martem infusura cavernis.

Peditum dispositio:

Ast equitum illustres animas, & conscia Martis
Signa, graves Hebro præiêre per arva Dynastæ,

Equitatus in 6. partes distributus:

I.

Præfectus Ex-

cubiarum Regni Stephanus Bidzinski ponè Tyram.

Atq; fugæ dempsêre locum per quina repôsti
Agmina: pars Aquilis palmaribus intima Dacæ
Claudit aperta viæ, fugitivaq; præcavet arma.

2
Stanislaus Iablonowski Palatinus Russiæ ad cujus insigne (Prus) alluditur.

Nec Leo Rossiacus pulchrum mentita perosus
Nomina, fert cassum sine robore nomen avitæ
Sesquicrucis, quem sacrat honos, Thraciq; minatur
Torva Palatinis Atropon falx indita Ceris,

ubi & Venceslaus Leszczynski Palatinus Podlachiæ alijq; insignes:

Et Soleæ dotale decus vestigia famæ
Imprimit, Edonios callem præitura per artus.
Hîc Vri conferta manus, Spartæq; negatum
Pectus agens, Latias merituro Heroë quadrigas
Prompta subit, Fabiæ decus infractura cohortis.

3.
Serenissimus Rex tunc Supremus Dux Regni, cum illustribus copijs proximum collem occupat:

Hinc prono subeunte jugo se grandior infert
Magna animo volvens, par mente, manuq; Camillo,
Arbiter armorum, ac summæ cum munere Clavæ

Alexander Polanowski Tribunus cũ Legione Serenissimi:

Clarior Alcides, & apex Mavortis aviti
Prima præit, pulchræq; rapit per Olympia famæ
Nomina, non humiles inter nutrita triumphos.

Joannes Opalinski Palatinus Calissiensis (cujus Insigne Navis)

Namq; OPALENIAM præ Phryxi vellere sortem
Quæ vehit, Ionias Argo risura Charybdes,
Cui, quod Iasoniæ puppi non contigit, offert

Chrystophorus Grzymultowski Castellanus Posnaniensis:

Martis arena vias: campum pro gurgite sulcat.
At cûi turritum specioso munere subdit
Posna caput, quadrupes non segni in prælia freno

Melchior Grudzinski Castellanus Brestensis:

Belligeram trepidæ telluris pulsat arenam.
Hîc & GRVDZINIÆ triplicem super aëra Turres
Ire Pharum, pigrasq; jubent effringere nubes,

Carolus Danilowicz Gubernator Parczoviẽsis cujus insigne Luna

Et Bizantinos campo minitantur acervos.
Opposuit Patrios astris hostilibus ignes,
Et Lunæ radiata Pharos, quæ desidis umbræ

Et alter Nicolaus, Gubernator Borecensis:

Nescia ferre diem, Lechicumq; invecta per Axem,
Sole pigros animare dies, didicitq; coruscos
Ex DANILOVICIIS ortûs accendere Ceris,
Threijcioq; comes Procerum, gravis imminet astro.

Hieronymus Lubomirski Melitensis Eques, cujus insigne Fluvius Srzeniawa:

Quin & naufragium minitari argenteus Amnis,
Qui galeas volvente vado LVBOMIRSCIA inundat
Atria, quin Rhodium Melitensis baltheus effert
Eme-

Emerito super Amne decus, geminosq; bibisse
Srzeniavæ atq; Tyræ cogetur Thracia fluctus.

4.
Dux Demetrius Wisniowiecki Palatinus Belzensis proximũ locum obtinet,

Proximus arva premit Lechicæ Dux Alitis alter,
Et glomerante gradus alterno crure catervas
Quadrupedante trahit, patriæ cûi munus arenæ
Dat Bellona, Duci fidumq; adjungit Achatem,
Et Clavæ socios pariter despondet honores;

& Dux Constantinus ejusdem sanguinis virtutisq; hæres: Vbi & Castellanus Czerniechoviẽsis Gabriel Silnicki,

Fraternas acies cui magno nomine major
Dux geminat, prensatq; decus cum Castore Pollux
Et Czernichoviis miscet sua lumina signis.

& Stephanus Czarniecki Notarius Castrensis Nepos Palatini Russiæ Domitoris Suetici Leonis:

Inde Ducum cuneis & aviti Sanguinis hæres,
Nec virtute minor, meritusq; in nomine laurum
Agmen agit famam parituris impiger orsis,
Subq; Palatino Patrui Mavorte decoram
Legibus armorum visus polisse juventam
In Patrui calet acta nepos, fætumq; triumphis
CZARNIECII nomen lunaribus objicit armis.

5.
Tum Andreas Potocki Palatinus Kijoviensis,

Ponè Ducale jubar socio micuêre Sereno
POTOCII galeæ, primos Kijovia fasces
Cûi dedit, & Marti est meritæ reverẽntia stirpis,

Felix Potocki Palatinus Siradiensis,

Quæ tum Siradias deducit in arma Curules,
Tergeminæq; Crucis nativo schemate pugnat;

Joannes Potocki Palatinus Braclaviensis.

Tum Cameneciam cinxit post prælia rupem,
Dum pulsat malè-suada fames, graviorq; famenti
Algor Hebro, raptam quem bruma infudit in urbem,

& Nicolaus Firley, cujus Insigne Leopardus: alijq; Dynastæ:

Tuq; cui pulchrum condit Victoria nomen,
Belligeras Leoparde vices sectaris, & altâ
Immistus Regum radiis fers indole dotes.

X.
At Michaël Pac Palatinus Vilnensis Supremus Dux M. D. L. Tyræ alteram partem obtinet: &

Heroas vix pennâ capit, quos fixus in armis
Nectit honos: *alitur socio fiducia ferro.*
Iam Lituanus eques, quâ frenat parte bicornem
Ora Tyram, Thracas generoso Marte coërcet,

Michaël Radzivilius Princeps Procancellarius M. D. L. Dux Campestris,

Præduce, cûi Litavæ gentis trabeata propago
Nomen & invicti cedit Mavortis habenas.
Quod si vel Phrygiâ Iovis armiger editus Idâ,
Et Siculis trifidos incudibus extulit ignes,
Atq; Iovi tulit Ales opem; nec belliger ille

Olger-

Olgerdanus Eques laturâ fulmen hiulcum
Alite non radiat, RADIVILIANA Ducali
Quam pridem Litavis dant arma propagine Mitris,
Vibratura truces non cassum fulmen in hostes,
Atq; Quirinalis pompas præitura quadrigæ.

& D. Ioseph9 Slusżki Venator M.D.L. cujus insigne attingitur.

Inde micat lato non vilis Purpura clavo
Et solem fulgore ferit, Martiqué secundas
Impertita vices, ubi SLVSZCYA fervet Enyo,
Cûi geminâ dat luce diem non Cynthia noctes

Ac D. Tyszkiewicz

Sueta pati, stagnansqué pigrâ rubigine ferrum :
Hinc TYSZKIEVICIIS frenat conatibus hostem

& uterque D. Sapieha Comes stabuli & Derpatensis Satrapa:

Ripa minax, pulchoq; fovet prælúdia nisu.
Non refugit Martem, quæ gignere sueta LEONES,
Et SAPIEHANA Domus, cui fortibus insita Ceris

Leo Sapieha olim Dux suprem. D. L.

Ire suo super astra situ Crux nexa Sagittæ
Nititur, in laudum pulchras incurrere metas
Alite sueta gradu. Tum Martia nomina mole
Vel tituli, plexura nefas hostile, suoqué
Tarpëios meritura tholos Mavorte, decoris
Emeritus latè Quadrupes immittit habenis :
Longus sola foret Sociæ per Nomina Gentis
Ire labor; sed Fama viris encomia pangit.
Illustris stat ubiq; globus, cuneusvé Quiritum.

Loricatæ cohortes,

Intrepidâ virtute pugil, numerusq; decorum
Cum Virtute ferit sociato robore fœdus.
Hos tegit ignitam ridens lorica procellam
Tegmine ferrato, pariterq; reverberat aures;
Sed melior lorica latus, defixa medullis

Et hastatæ, præcipuũ robur exercitûs Poloni.

Im tegit: Seges hos æris, Siculiqué labores
Ætnææq; incudis opus, cataphracta trilice
Vis clypeo, rutilæ geminata luce renidet
Triste jubar galeæ, dubiæq; in casside pennæ;
Dædaleis lateri fixit leve pondus in alis,
Nec sentire dedit volitantis in äera plumæ
Pondus, & äeriæ spolium sublime volucris
Syrma volaturis ferri sine pondere cessit:
Insuper induntur fixis hastilia contis,

Quæ

Quæ propè dentatas Cadmi vicêre Sarissas.
Talia si tellus ferat arma. Pelasgus Achillem
Nolet Othrys, Latio cuperetq; triaria pilo
Suppar Roma decus : ferrum contraxit ab auro

Polonæ militiæ splendor.

Omne jubar, pulchro radiabant arva Gradivo;
Quem pharetræ speciosus honor, tumidusq; refuso
Gange chalybs, fulvo baccata monilia nexu
Attollunt, tumidis frenatusq; ora lupatis
Aurum mandit equus, creperoq; per äera lapsu
Tendit, Hydaspæo suffultus ephippia nodo.
Auxerat arma dies periturо prævius hosti

Augent exercitum Principes Vallachiæ & Moldaviæ, qui ad nos transeunt.

Nam Lechicos nondum signis experta Mucrones,
Dacia, Moldavicas Istro sociante phalangas
Bistonij pertæsa jugi negat arma Corallo,
Sed Lechici sua signa Ducis pérmittit habenis
Mæsiacum comitata Ducem. Sic castra revulsis
Viribus Istriadûm comiti patuêre ruinæ,
Dum socijs Thracem Mars advena conficit armis.

XII. Dux Supremus pedes progressus antè districto ferro,

Ergo præit Patrias Ductor SOBIESCIVS alas
Impavidus, quid fata ferant. licet arduus altum
Poscat Herum sonipes, pedibus progressus, aperto
Ante acies ferro. & sensit vestigia tellus,
Quam pede vix pressit, mox impendente trophæo

more magnorum Ducum, quorum facundia militem acuit.

Vel pedes oppressit, vultu spirante calorem
Accenditq; Aquilas. *Sed cùm malè torpeat imo*
Pectore flamma latens, oris nisi sentiat ignes,
Ardentesq; animis Oratio provocet æstus;
Nec rudis ille, Ducis quantum facundia possit,
Ac lituos inter tubeatæ classica vocis,
Mox Ducis ore novos dat Suada beatior ignes.

(Simile)

Sic Ætnea silex rigidis incendia venis
Flammivomasqué occultat opes, medioq; repôsta
Ignea gaza sinu friget, durumq; revincto
Flammea vita gelu : at si fracta repagula flammæ
Et ferrugineum persenserit acriùs ictum,
Igne micat, chalybisq; iras perpessa, latentes
Prodit opes, latebramq; negat lapis armiger igni
Scintillante sinu : Sopitas erigit iras.

Magna-

Magnanimi ſic Suada Ducis: vibrantior enſe
pauca præfatur.
Martia lingua animis non viles ingerit auſus.
Inde Ducum graviore ſtylo Dux Lechicus inquit:
Oratio Ducis præſagi de victoria:
(Verba calent, calamiq; ardent orantis ab igne.)
Inſoliti mihi mens multùm præſaga triumphi
Pectus init, ſociæ, victricia ſigna, cohortes.
Imus in Odryſios: felix palmaribus auſis
Hora dabit laurum, ſpoliiſquė Oriente ſubacto
Dives ovabit Eques, fœdamq; volubilis anni
Deteret ira notam: Nihil inſuperabile Lecho
Campus alit, ſi mucro pares ſinuetur in actus,
Atq; trophæa velit periuris concitus armis.
Nec deerit placidus revocatis viribus æther
Chocimij comes antè Sagi, quà prata cruento
Immaduêre vado lauruquė vireſcit arista.
Obteſtatio ejus per Divina, humanaq; omnia.
Sacra iacent proſtrata; vetus ſquallentia liquit
Fana decor, viduisq; vacant altaribus ignes.
Aras ſquallor habet, convulſaquė calce protervo
Signa Sacris variata notis, pes barbare, calcas!
Divinæq; Crucis ſacri periiſtis honores!
Hæc quis probra ferat? validus non arceat umbo
Vulnera Divorum? vaginâ torpeat enſis,
Nec Superûm Patriæq; foci ſtent vindice ferro?
Irrue, fida cohors; ultrices ara fociquė
Exacuant iras: aude, Victoria præceps
Poſcitur, & viridem Nemeſis pia deſtinat herbam.
Accenſa militis virtus,
Finiit: igne calent animi, quos hauſta per aures
Nobilis ira cremat, dominæq; potentia linguæ.
Cui ſpem alunt, tū præludia belli felicia, 9. Novemb: inita.
Omen alunt æſtumq; heſternæ prodroma pugnæ
Cæpta, ſecuturæ data cùm tentamina ſortis,
Proluſumq; neci per funera, quando minore
Luna Threiſſa globo præituræ cladis iniquas
Paſſa vices, retulitq; ſui præſagia fati;
tum 10. Novemb.
Quamvis ancipiti lauru nutaret utrinquė
Prima dies, totamq; ſibi lux proxima laudem
Poſceret, atq; leves primò tunc pertulit ictus
Iſmarius Mavors, vallum ſubeunte catervâ.
facto aſſultu per Ioan: Denemark,
Dum capitur per tela furor, Denemarkia paſſim
Arma volant, cædeſq; ferunt, pulchramq; viciſſim

Victri-

Victrices animæ referunt per vulnera mortem.
Vbi inſignes noſtri aliquot cæſi: plures hoſtes
Sic Lechicâ virtute minor primordia cædis
Thrax tulit, atq; dedit: fulſit meliore lapillo
Ponè ſecuta dies, variæ præambula palmæ
Mulctans non dubij ſpecioſa luce triumphi.
XIII. Oppugnantur caſtra hoſtilia,
Hinc audax urgetur opus; velut ante minacem
Igne Iouem tremulis præfulgurat ignibus æther;
Sic micat Arctoo Mareoticus agger ab igni;
tormentis per gyrum exploſis,
Iuſſa pati nitrios Aſiatica valla vapores
Triſtes paſſa focos: præiêre tonitrua belli
Sulphureis excuſſa tubis: tonat æreus Ætnâ
Mulciber, ignivomo præceps ex ære procella
Iuſſa ruit, flammæq; truces, ac fulmine diro
& globis incendiariis.
Æra crepant volitantq; neces, ſubit alite plumbo
Funus atrox: tormenta globos in fata feraces
Diſruptâ compage vomunt, mox grandinis inſtar
Denſior excuſſis ſphærarum fœtibus atro
Fata ſinu Libitina rotat nocuoſq; fragores:
Eripit inde jubar tempeſtas ignea, Ditem
Biſtonidis ditat, lucemq; ad fulgura demit.
Sic dum ſacrilegum pubes Titania Martem
(Simile de Gigantibus à Iove oppugnatis)
In Superos motura ſtetit; vix preſſit arenam,
Concuſſus trifidis deſæviit ignibus æther,
Et triplici metuenda Iovis face tela coruſcas
Concuſsêre domos, fremituſq; exterruit Orbem:
Sic furit ignito vindex Bellona Veſevo
Sulphureas jaculata faces, ac igne tonantem
Inſigni ignei Martis Præfecto Martino Katſki.
Eſſe Iovem, multo teſtatur fulmine Lechum:
Dum vel Trinacriæ tædas imitata favillæ
Fuſilis Ætna furit, quam non frigente lacerto
Torquet inextincto fervore calentior Heros,
Quo Phlegræa Iovem nunquam piguiſſet in arma
Inq; Typhæa uti, teliq; ſatellite miſsâ
Alite, fulmineas illi committere moles.
Hic quæ geſta canes? Procerum quem voce canorâ
Prophaſis ad laudem virtutis Polonæ & Lituanæ.
In ſublime feres alto dignata cothurno
Threiicij Vatis, Vatumq; veterrima nutrix

Callio-

Calliope? da poſſe pares intendere nervos
Aut Latia reſonare tubâ, dignumq; trophæis
Ire melos, graviuſq; feras in claſſica Numen.
In calamo trux umbo ſonet, carmenq; minetur
Acre ſupercilium, ſpiret feralè vel ipſe
Ore fluens Pæan, graviorq; triumphet Apollo.

XIV. Militis noſtri ardor, quo

Vix nitriæ tonuêre faces, fremuitq; volante
Plumbo vulnificis trux machina fæta procellis,
Et caluit ſævis tepefacta vaporibus aura;
Arſerat & virtus, efferbuit ira medullis
Nec tenuit fera tela calor, ſed dira furentis
Agmina Boſphoridæ, victuræ infudit arenæ.
Nam vix ære Lecho primi data claſſica belli

In caſtra hoſtium irrumpit Hieronymus Petrikowski ante alios cum Legione Martini Kaſki.

Excierant in tela manus, tonitruq; per auras
Sparſit in arma faces, & pectora ſulphur aduſſit;
Mox (ceu præcipiti Steropis labor emicat axe)
Irrumpit Peditum Palmaris Ductor, & aſtris
Freta, ſecuta cohors: cælique hortatibus acta,

Michael Zebrowski Colonellus

Quà ſtrato cava faſce ſinunt, volitantibus armis
Inſilit, Auſoniâ murales urbe corollas

Erneſtus Dónhoff, Ioſephus Laczynski — Generales Majores

Ac ævum meritura manus; nec vilia vulgi
Nomina, ſed Proavos priſco queîs ſanguine virtus
Miſta refert, ſolidi per ceſpitis ardua primæ
Captant cæpta ſpei; vetuit nec repere fervor
Quà licuit; frenis alium ſed mollior agger

Chryſtophorus Korycki Elias Lacki Generalis Metator cũ ſuis Legionibus. Ioan: Greben & alij. Ioan. Chamers Cẽturio Equitũ Germanico more.

Extulit, atq; novis foſſam frenavit habenis
Aſcenſuq; gravi; gemuit depreſſior agger,
Excepitq; ſinu bellum: ſtupuêre probroſas
Caſtra vices valliq; graves ceſſiſſe Mæandros
Virtuti foſſæq; caput, fluitare recepti
Signa Lechi; caſtris alienum fervere Martem;

Pugna in caſtris,

Exarsêre truces animæ, dum foſſilis hoſtem
Spontè recepit obex, torvoq; in prælia vultu

Hoſte in hoſpitem Martem irruente.

Arma capit præceps in propria funera Strymon:
Et recipit ſignatq; ſuo ſibi ſanguine buſtum.
Campum caſtra gerunt: arcta pugnatur arenâ.

Vladiſlaus Skoraſzewski

Imminet Euboicis nec inermi velite Lunis,

Par

Signifer Poſnanienſis Tribunus Equitum, primus cum ſua equeſtri Legione, invadit caſtra

Par Mutio nomen ſed cûi non eximit hoſtem
Error, & obtruſo decepta ſatellite dextra,
Aut pharetris fatale nemus: quo conſcia Lechi
Poſſia in palmares nôrit contendere pugnas,

Stephanus Biedzinski Supremus Michael Zbrozek Campi, Vigiliarum Præfecti.

Hic novus Odryſij terror fulmenq; Tyranni!
Irruit & geminus vigili ſub munere Ductor,
Qui pro Sarmaticis vigilantiùs excubat armis,
Quàm Capitolini Romanus proditor hoſtîs
Ales in excubias non impiger. Ergo decora
Signa ruunt, miſtoq; volant per Biſtona ferro
Cum Ducibus Miles, pluresq; ſub ære Dynaſtæ
Funera cruda ferunt, ſurgit de ſanguine laurus.
Lecta, nec Auſonijs palmam ceſſura Metellis
Ardet in ære manus, ferri ſitit ira cruorem:
Nec licuit dare fata moræ; ruit impete ſævo
In Lechidas periturus eques; concurritur armis,
Miſceturq; fremens Aquilis palmaribus Eos.
Sed non in pavidas gelidâ formidine mentes
Agmen agis, veſane furor; non horrida poſthac
Bella geres, poſtrema tuus quatit arma lacertus
Arctois ferale feres mox vulnus ab armis.
At cade, Tyſiphone dum te furialibus œſtris
In tua fata ciet, dum Lechicus Annibal inſtat,
Et ruit in veteres palmas properante triumpho.

XV. Hoſtilis valida impreſſio ab haſtatis cohortibus frãgitur, Palatino Ruſſiæ, & Michaele Rzewuski Palatini Podlachiæ cataphracto procenturione, Notario Leopolienſi.

Involat Edonias valido certamine vires
Fida manus: Roſſi trabeatus jure Gradivi
Heroæ virtutis apex, belliq; togæq;
Vſibus inſtructus; ſed nec Podlachius Vri
Miles abeſt, quem LESZCZYNIÆ docuêre triumphis
Non exeſſe manus: patuitq; quid inclyta bello
Dextra gerat, cùm denſa petens examina Thracum,
Enſe pericla fugat, quo ſe Leoburgica jactent
Pergama belligerum caſtris effuſa Dynaſtam.
In Lunas & Luna ruit, dum pota Phanetem

tum à Nicolao Sieniawski Signifero Regni.

Cynthia SIENIAVII jubar immortale Sereni,
Et Patrijs prædux Aquilis incurrere viſa
In virides palmas, Dibaphoq; in murice tingit

Purpu-

Purpureos Ortus, prifcifq; Quiritibus hauftum
Hafta parat geminatq; decus pudibundaq; pingit
Memnonis ora rubor Beffo miniata cruore.
Vis haftatæ militiæ. Fluctuat arcta feges chalybum truce naufraga tabo
Et coni ferale jubar, clypeiq; feverum
Cælatura micans: riget inter funera, denfa
Haftarum feries: fixis haftilibus haurit
Cum Titane latus, quem nubilus horror inumbrat
Pilanumqué nemus, noctemqué induxerat hofti
Rapta dies; & quem victor prætervolat enfis,
Nudus in enfe pavor, vel ftricti vifa mucronis
(Primi in acie oculi vincuntur) Ira ferit. *Nam prima oculis certamina Mavors*
Indicit, trepidoq; prior pupilla duello
Icta cadit. torfit refugus qui lumina, toto
Corpore victus abit. Cæfum præfagiat hoftem,
Quando minax aciem frontis perterruit umbo.
Strages hoftium & funera. Crefcit utrinq; furor, ftrepit icta mucronibus ira,
Ferrum Marte calens potum fitit ufq; cruorem,
Quin & barbarico quæ fluctuat ebria tabo
Dextera cum valido findit thoraca lacerto:
Sanguine miftus adeps, molli quem Thracia luxu
Educat, Arctôum maculat per vulnera ferrum.
Hic ruit admorfo, capulo tenus, obvius enfe,
Enfe fatur: dirum jugulo perit ille recifo,
Hic ftricto pulmone cadit, dimiffa lupatis
Illum lora necant, rigidis portantur in haftis
Exuviæ, viduoq; fluunt per dorfa caballo:
Hunc dum Bofphorius fonipes in fpicula defert,
Linquit, & in media refupinum effundit arena,
Vngula ferva premit, dominos graffata per artus:
Hic cita fata vocat luctantia fata perofus
Mordicus ille premit, defixaq; robora mordet,
Ac Phlegetonta petens fecum fert fragmina conti.
XVI. Strages Ianizarorum. Sed neq; pugnaces peditum Mars otia turmas
Ferre finit, gravidumq; igni reboante fragorem.
Namq; Orientis apex, Threffæ fiducia pugnæ,
Æmonii Martis tonitru violentiùs acto

Fulmi-

Fulminat, & paribus minitans gravis imminet armis:
Depluit egeftâ tubus ignifer ufq; procellâ,
Atq; ferox plumbum volucriq; volatile fato
Detonat: haud dubiam depofcit fiftula metam,
Ac per inane labans certos fibi deftinat ictus.
Quà ruit Arctous, lethali grandine denfus,
Horret ager, pavidufq; fono diverberat auram Polonus ardor ac robufta felicitas.
Sibilus & volucri fatalis murmure, cum quo
Fata volant juffæq; faces: propiore tonitru
Aura gemit; ferit ima ferax in vulnera plumbum,
Nec fallente tubo, vel adunci cufpide ferri,
Dextera non caffo quod Marte vibravit in ictum,
Naufraga Threijciis immergens caftra fluentis,
Fixaq; Erythræo minians tentoria latè
Diluvio: juftis vix fufficit obvius enfis
Funeribus, ferrumq; hebetat palmare torofa
Memnonidùm cervix: chalybem gravis afperat ictus,
Quem vis fola acuit ferroq; valentior ardor.
Ite leves animæ, vel Averni gurgite labem
Eluite, ac fidei delufæ expendite pœnas.
Hac fapiat Thrax clade nepos, veftriq; ruinâ
Atq; fuâ, famam Lechicæ virtutis adoret.
Macte cruenta cohors primâ palmaris arenâ,
Vince, nec arma vacent; ultrà felicia bellis
Signa move, gladium libato haud fanguine frauda. XVII. Hufſeimii indignabundus mœror:
Indoluit fatis Afiæ Dux barbarus, atq;
Elufæ cum Marte fpei: fremit anxia cæptis
Ira, gravefq; Deos, & non obliqua Lechæis
Aftra Aquilis queritur; cum fœda ad probra ruinæ Fuga Solimanni Baffæ Bofnienfis cum aliquot millibus barbarorum:
Addit iners Mars probra fugæ: Solimanus opimo
Bofnia cui cenfu cum milite paruit, arcta
Emicat è cavea, raptimq; volantia figna,
Quæ fibi non dubius fati timor addidit, extrà Oratio ejufdem ad fugæ focios, fugæ fuaforia.
Elicit: *Armorum fociæ fatiqué cohortes*
Quà tutus per aperta fugam dat tramite clivus,
Emeritas acies crudæ fubducere pugnæ
Sors iubet; idqué iuvat, ne pulfo Marte, fuperbum

 Incef-

Inceſſat Lechidem tumor is, cèu deſit Eöis,
Qui domet Iſthmiaco turgentem Parrhaſin auro:
Quem timeat, ſupereſſe ſciat, certamine felix,
Quod caſu, non Marte gerit. canat ille triumphum;
Præfica mox leſſos recinet, fundenda vel iſthâc,
Quam ſervabo, manu: mecum terat ungula campum,
Iſter meta, viri. Nec plura; vetatq; diſertum
Texere plura timor, fædi ac vicinia lethi.
Namq; ſequax rigidis metuendus Sarmata contis
Fata parat. ruit ergo fugæ Dux impiger, atq;
Erumpit medijs per ſtrata cadavera caſtris,
Pòſt numeroſus eques Lechicâ virtute coactus
Sic fati mutare locum: comes hæſit ubiq;
Ponè ſequax Nemeſis, fidus formido ſatelles
Terga ferit, quiquè eſſe ſolet fugientibus horror
Aut comes, aut ultor, profugos violentior egit,
XVIII. Penèq; pallentes ſuaſit convolvere Lunas.

Vexillum rapitur, ſub quo Centuriati Turcæ occupârant Candiam.

Hæc tamen arma licet non expugnabile Cretæ
Emporium Regniq; caput, Minoïa ſceptra
Adriaco dempſère freto: fluxère rapinæ,
Claſſica dum caneret reſonantia claſſibus æquor,
Et caneret Triton miſtum pæane celeûſma.
Hoc Othomanidæ nova pandere viſa Tyranno
Vela ſpei, palmare Duci ſuper æquora ſignum
Cum daret, ipſa ratus dare ſe præſagia palmæ,
Expreſſitq; tumor ſimilem ſine numine vocem:

Oratio Imperatoris Turcici dantis hoc ſignum ituris in Poloniam;

Ite ſub hoc, cûi fida comes victoria, ſigno.
Vanda gerat, quod Creta iugum; quin Lechia Cretas
Mille ferat. nuper felicia ſigna, ſubacta
Regna Craci, ſtirpemquè Lechi, ac extrema Boruſſæ
Balthidos, Iſtuleiſquè fretum confine fluentis
Credo, ferent, repetetq; ſuum mox Varna trophæum,
Et Regale mihi caput alto miſſile conto
Afferet, ac pedibus depreſſum proteret Orbem.

Sed falſi ominis.

Sed mendax Cretenſe gerit ſpes, turgide Prædo,
Ingenium, Gnoſiiſq; fides hûic fluctuat undis,
XIX. In gelidumq; ſequi refugit tua ſigna Trionem.

Fugienti in ulteriorem Daciam Solimano.

Per vacuos igitur properato tramite campos
Emicat imbelli trepidans Solimanus in ira,

Et Le-

Et Lechicas quondam Cannas tumuloſq; Cecoræ
Ardet inire, Ducemq; fugæ fera ſigna ſequuntur.
Sed non effugij ſupereſt ſpes ulla timori:
Ipſe metus pæane beat, primuſquè fugaces
Conficit ipſe pavor: geminat probroſa dolorem
Viſceris ima petens à ſe deſcripta cicatrix,
Et clauſi cecidiſſe pudet mucronis ab ira.
Quin veluti præſaga foret fatiq; fugæq;
Muſurmane tuæ Lechidarum Martia pubes,
Obſedère vias, ac obvia ſigna paventis
Impediêre fugam: gemuit molimina Biſto
Intercepta viæ, geminiq; pericula cœpti.

Viam intercipit.

Intererat lux rara Togæ; Patrijq; Senatûs,
Grande jubar, geminiq; Duces duo fulmina belli
Mulctavère fugam trepidis fatalia turmis.
Dexter ades, cûi Luna ſuos KORIBVTIS honores
Et conſanguineo miſceri viſa nitore
Sarmatiæ Solio Regumq; nitoribus; alta
Campeſtris cûi jura Sagi, & geminata Ducalis
Sors tituli, ac Patrij jus Imperiale Gradivi
Armaq; belligeræ meritò ſubmiſit arenæ
Stirpis honos, Clavamq; mitris ſociavit avitis.
Nam geminum voluêre Ducem, geminumq; ſub armis
Arctica Regna jubar; nè ſcilicet Herculis Vno
Patria, ſed duplicis ſtaret ſub robore Clavæ

Dux Wiſniowiecius.

Miſcuit erectas ad Martia claſſica vires
POTOCIANA phalanx profugaſq; per avia Lunas
Viſa Palatinis in fata reducere ſignis.

Et Palatini Kijovienſis, Siradienſis, & Braclavienſis,

Hic Lunæ fugientis obex, ubi plurimus Hector,
Mulctat cæde metum: Nam vix fuga Threſſa pavorem
Extulit hic (rapido per devia teſqua Gelono,
Quàvè timor rapuit) laxis effuſus habenis,
Stirpe Ducem tituloq; gerens Demetrius inquit:
Quin ruimus, Socij, timidiſq; obſiſtimus armis?
Arma volant fugitiva, vagum ſors obtulit hoſtem,
Concanus ipſe vetat, dum elabitur, otia ferri,
Ergo chalybs ſegneſcat, (ait)? quid lentior hæret
Dextra, nec è profugo palmaris adorea ſurgit?

Dux Demetrius Wiſniowiecki ſuos animat.

Irruimus,

Irruimus, funeſta ſuo Thrax Tartara letho
Fædet & extinctæ referat vaga lumina Lunæ.

Solimani Baſſæ cohortes tum cæduntur à Duce & Palatinis;

Vix KORIBVTIDES Dux finiit, ilicet Arctos
Martia tota ruit, mox ales in ardua miles
Territat impulſum violentis curſibus hoſtem;
Cogit in arma pudor, refugis dat trames arenam,

Vbi Georgius Wyzycki.

Dat ſimul & tumulum. Lechico micat area ferro,
Et gemit excuſſi tellus ſub pondere Thracis:
Fervet Martis opus, ferro pugnatur & igni,

Nicolaus Złotnicki.

Tela neceſq; volant: queis ſontica flamma pepercit,
Haſta ferit, fluidæq; profundiùs indit arenæ.

Georgius Alexander Stezkiewicz Tribuni militum

Non manus enſe vacat, nullusq; impunè Polonum
Vulnus amat: caput hinc, latus inde repandit hiatus,
Cervix prona labat, totum eſt pro corpore vulnus.

Carolus Lużecki Caſtellanus Podlachiæ ubi eius Procenturio Cieſzkoski tormẽti ictu vulneratus;

Barbarica de cæde ſatur ſic arva colorat
Cæde chalybs; & adhuc rimatur viſcera, cæſæ
Quod reliquum ſupereſt animæ, per vulnera tollens:
Stagnat ager, non ripa Tyram ſcopuliq; coërcent,
Sed cruor amne fluit, geminat cognomina ſanguis
Bina Tyræ: quod ſanguis erat, modò Thetyn adûbrat.
Nec per prata ruens ſolidum ferit ungula gramen,
Non per plana meat, ſed paſſim ſtrata Gelonûm
Corpora calce ferit ſonipes, mulctatq; relictas
In vultu moriente minas, fatiſq; ſuperſtes

XX.
Marte Lechicam Virtutẽ admirante. (Oratio Martis in Laudem Polonorum)

Fronte odium, temnens vacuas ſine viribus iras:
Obſtupuit brevibus ſic ſumma labaſcere Mavors
Momentis; Lechicâq; ſimul ſuper Indole fixus
Incipit: O Pubem natam meliore Gradivo
Vincere quæ didicit, ſed neſcia pectora vinci
Ipſa gerit, certos armis pariturâ triumphos.
Huc Rhodopæa mihi certum transferre trophæa.
Carpatijs mens eſt vires ſociare pruinis,
Vanda triumphanti præit ad connubia Marti,
Cùm rapiant fera bella, piget me Thracibus unquam
Incubuiſſe iugis, mæſtæq; in funera terræ
Noxia Biſtonias in cornua vertere Lunas.
I generoſa phalanx, ſertiſq; virentibus Orbem
Auroramq; reple; veſtris Commilito ſignis

Mars erit, Odryſiis alienum Numen ab armis:
Et patuit placidum Lechidis aſſiſtere Martem,
Dum ſe non dubio devolveret alea jactu,
Nec ſineret meliore frui ruitura retracti
Arma Ducis, fatiſq; gravem cumularet arenam.

Tum Solimanus cum reliquis in caſtra retrocedere cogitur.

Nam poſtquam mutilus fugitivo Biſtone ductor,
Quodq; malis ſupereſt, funeſtâ ſtrage ſuorũ
Et mærore furens viduis ſe reddere caſtris
Cogitur, ac inter ſua funera quærere funus;
Vincere ſcit lauruq; frui, cæptumq; perurget
Victor opus, ſolidumq; decus non Æolus illi,
Bellerophontæis nec equus ſubducat habenis;
Igne manuq; furens Aquilis volitantibus inſtat.
Vt Leo cùm Libycæ populatur paſcua ſylvæ,
Vix nemoris jactura feram compeſcuit; inde
Præda laceſſitam ſi quæ tamen effugit iram,
Rurſum bile calet, cæptaſq; furente duello
Proſequitur ſtrages Hircana per avia paſſum
Præcipitans, rabiem concuſſæ verbere caudæ
Extimulat, totis quoad ira triumphet in arvis.
Sic quà præcipitem metus armiger abſtulit hoſtem,
Ponè volat victura phalanx ſequiturq;, recenti
Donec Luna redux cumularet funere funus,
Iuſſa relabentis ſcopulos incurrere fati.

XXI.
Recrudeſcit in caſtris pugna.

Sed geminat vires ſtrages violenta Corallo,
Hinc ſocio Mavorte furit, nec linquit arenam:

Virtus & in hoſte probatur:

Dat Bellona vices, gravior ſuperimminet Arcto
Biſtonidûm rabies: *nec enim fraudare vel hoſtem*
Laude libet: ferat hic quævis encomia virtus
Digna Viris. iuvat emeritis impendere pennam;
Invidiâq; procul, ſit Sarmata, Thraxve, perinde
Strenua facta probet meritis obſtrictus Apollo.
Par actis pangatur honos, quemcunq; coronent.
Nec decus, imbelles Nemeæ frondentis alumnus
Si perimat damas, iráque indigna Leonis
Agmina, vel dociles cervo ſuccumbere vires:
Pulchrius eſt viciſſe viros. Amat ardua virtus.

Dat illi deſperatio vires:

Iamq; novos Thraci rabies indixerat auſus,
Vtq; ruit cæco violentior ultima virtus

Marte, cui vetitum dubiam spernere salutem;
Fata furore præit, fractáq; ferocior Hebrus
Lauru, quæ superant, vocat in præcordia vires;
Et patuit quantò mens icta efferveat æstu,
Dum subit excussæ fugiens fiducia palmæ,
Aut arcet Mucrone Stygem. Sors fluctuat anceps,

Anceps belli Fortuna;

In Lechidûm palmare decus conspirat, ijsq;
Emeritos nectit Daphnææ frondis honores;
Mox se Memphiacis immiscet læta catervis.
Lassa novam deposcit opem Bellona, duellis
Fors dubias experta vices, ubi Carpaton Hæmus

sed ad nostros inclinat Ioanne Opalinski Palatino Calissiensi in obvium Solimanum incurrente,

Torvo Marte premit, Memphisq; trophæa requirit.
At nondum vario laurum præcerpe Gradivo
Aut ausis brevibus, Nilotica turba, triumpha:
Numen adest vindex violatæ pacis, & infert
Tuta trophæorum densoq; minantia pilo

et Christophoro Grzymułtowski Castellano Posnaniensi et Alexandro Wronowski, à tergo urgente Alexandro Polanowski, & Wilczkowski, Alberto & Sigismundo Vrbanski Hastatorum Ductoribus.

Ærea signa, animos Lunæ demptura bicorni.
Hæc docuit te posse cohors, Mars barbare, vinci.
Iam quatit Eöos solido gravis ære maniplôs,
Fulmineâq; Dahas intexens induit hasta,
Dum metam victrix in viscere destinat arbos
In Vivo defixa scopo trucibusq; medullis:
Non ictus eludit Eös, nec spicula cæcus
Error habet, cassoq; volat Lecha lancea ferrô.
It quadrupes sessoris egens, geminatq; perempti
Funus Heri, vitæq; audet fugientis obortam
Accelerare moram: denso cuneatur in orbe
Pulchra phalanx, harpen frustra vibrante Gelono;

Laus repetita cataphractæ militum.

Opposìtu clypei vulnus deluditur, ictum
Æratæ rident galeæ Themesæa metalla,
Arcet fata chalybs, quo vel Telamonius Ajax
Dardaniæ poterat tutùm insultare Minervæ,
Nec pulchrum Danaus Paridem timuisset Achilles,
Si sibi lentasset non Styx, sed Lechia ferrum,
Istuleusq; Sterops, gelidæ vel Parrhasis incus.
Fæda rei facies! Bellona ferociùs ardet
Et revoluta cadit Thracis fortuna sub ictum.
Odit nam dubium fervatus in ægide Mavors,

Sed so-

Sed solidum parit ære decus, sic Persea scuto
Effingens, celeres ut figat in æthere lauros.
Haud alibi torpet tacito vagina metallo,
Sed volucres temptura pilas, ac missile plumbum,
Vda per arva volat jugulis par sola trecentis,
Si chalybem poscant, vel amet cita funera cervix,
Nè pudeat vixisse diu, cæsumq; probrosus
Nè pudor in longum producto sauciet ictu.
Nec vires negat ira, licet per morbida sese
Insinuet Virtus ægro molimina, pridem

D. Myszkowski Succamerarius Belzensis Signiferum Turcicum invadit.

MYSZKOVIAM cōplexa domum: non debilis armus
Arma rotat, quem prona pavent, lunataq; lapsu
Signa colunt, ferroq; per ima repentè recepto
Signifer Hæmoniæ stupet inter fata catervæ.

XXII.
Iterum in fugam agitur reliquus equitatus barbarorum,

Iamq; animi fastûsq; minor, peditumq; ruinâ
Eos fracta, fugæ reliquos commiserat actus,
Cladibus exanimis, viduisq; à milite Castris,
Effusoq; gradu per conscia castra triumphi
Indecori dat terga fugæ, nec terga prementis
Opprobrij meminisse vacat, sed certa requirit
Fata pavor, reperitq; volante per arva Gradivo.

Marte Polono à fronte, à latere, à tergo hostem invadente.

Non facilem dat arena viam, dum cælite telo
Ocyor, attonitos in devia lustra Corallos
Adverso Mavorte ferit, meliore, nec auso
Hoste fugam dignanda manus (*nam Cerva Leonem*
Exanimisq; metu quid terreat hinnulus Idæ,
Arcadiumq; nemus?) frontem petit ignea grando;

Laus Ioannis Opalenski Palatini Calis: et Christophori Grzymułtowski Castellani Posnaniensis et Alexandri Polanowski Tribuni Equitum Cataphractorum,

Nec latus ense vacat, quod aliena minaciùs arma
Pulsant, & cæsis formidine mucro parentat,
Quem dat OPALENIIS vel Iasone clarior Argo; &
Stirps trabeata novum pulchrâ rate gessit Achillem,
Qui mulctare fugam ferro vel gurgite nôsset.
Namq; Palatinos vix sensit arena volatus,
Et Posnæ prælustre caput, Martemq; secundum,
Atq; POLANOVII duratas ægide vires
Cadmæis potiore viris, Solimana priorem
Arma fugæ repetunt volucri formidine scenam.

Sed

et Lituani Exercitûs Ducis in palabundum hostẽ irruentis.

Sed Litavi jus omne Sagi cùi mista triumphis
Clava dedit, gravior palantibus ingruit armis,
Quàq; dat imbellis timor arva, hàc ardua pontis
Eoi speculatus Arabs, conferta madenti
Agmina raptat equo, *cêu Martia nôsset asylum*
Ini pati. dum fortè Tyram transmittere tentat

Pontis Copia præcluditur profugis,

Incurrit sua fata metus, nec faustior ictis
Aut letho potiore cadens, dum Lechica tristem
Vrgent frena fugam, & pavidas victore lupato
Insequitur Lituanus Eques per jugera Lunas,

ubi Dux Michaël Radzivilius Procancellarius M. D. L. fugat hostem.

Quà RADZIVILIÆ micuêre volantia clavæ
Agmina Lechiacis pariter permista trophæis.
Plana viæ, quam ponte Tyras frenatus adacto
Obtulerat cursim per aperta ruentibus, astu

In præceps acti Turcæ fluctibus hauriuntur.

Impedit acta manus; per conscia littora Ditis
Thracas agit, quà præcipites prærupta Maléas
Nec vada littus amat, scopulis sed certa retortus
Volvit fata Tyras, ac irrevocabile funus

XXIII. Solimanus occũbit ictus glande in supercilio

Intentat, lapsosq; profundo absorbet hiatu.
Nec tibi Lechiaci pernicior ira mucronis,
Et fixæ sub fronte pilæ producere fulmen
Vitæ fila finit, Solimane, aliamq; negârunt
Aversi profugo Superi, nisi funera, metam.
Nec sors Sarmatidis indignabundus Averni
Claustra petis, potiora ratus contagia lethi,
Quàm cippum subijsse diu, vel degere Cyri
Compede, ferratáq; gradum vincire catenâ.

Capitur filius Vezeri, Ægyptijq; Bassæ,

Nam tibi, quẽ patrio cumulavit Memphis honore
Et coluit prono Nilotica terra Canopo,
Dum fidis tua frena Tyræ, nec fluxa timetur
Amne fides, arcto tibi durat vincula nexu;

et Czausius Bassa, & plurimi Turcæ insignes.

Inq; pares risus fortunæ barbarus Heros
Accedit rapidæ protractus gurgite lymphæ.
Cætera ponè minax Lunatica signa Polonus
In præceps agit ultor Eques, lethumq; morantes
Fata haurire jubet, fessisq; jugalibus acta
Præcipitatur Eos, Scyllisq; furentibus hausta

Cocyti latices præfert horrentibus undis,
Inq; Tyra potare Stygem graviore coacta
Imperio, refugamq; Thetyn frenare ruinâ.
I fera turma, Tyræ cognatam nosce Charybdim,
Nativâq; Tyro permisce Achelôia regna.

XXIV. Cenotaphiũ mersis in Tyra barbaris,

Si qua fides fluvio, Daco si carmina nomen
Sculpta perennè gerant Sypilo, nec posthuma limum
Tempora fors vitient, Dacas inscripsero rupes,
Meq; sepulchrales feret hæc Marpesia cautes
Alchimedonte notas, quêis muta oblivia vestri

ac inscriptio sepulchralis:

Funeris hoc carmen sero vetet usq; nepoti:
Hîc sita barbaries rupti rea fæderis; at cùm
Expiat amne notam, non eluit; illa perenne
In scopulos impacta, tulit post fædera vulnus!
Vorticibus præceps hauritur prodiga vitæ
Turma, tridentifero tumidos sorbente iugales
Numine, barbaricoq; tridens radiavit obryzo:

Absorpta fluctibus hostium circiter quinq; millia.

Aurea frena premunt fluctus, phalerisq; refusa
Hebri tempestas, dum millia quina ruentis
Bistoniæ rubeis misceret fluctibus amnis,
Vix fati testante fidem per summa profundi
Æmonidum crebrâ cydari fluitante, galerum
Nempe gerente Thety, cûi limbus mollior imâ
Parte tumet gravidus, radiataq; munera Serum
Turbinat in medium: rectà sinuantur in altum,
Et propè milleno fluitant super æquora tractu:
Eripit aspectum fluvij trabeata procella,
Quæ refluâ capitis bysso vaga fata coronat.
At ferri siluêre minæ, dum naufragat hostis;
Suppetiasq; breves tibi Sarmata victor abundè
Ditibus Odrysii spolijs, Neptune, reponit.

XXV. Numerus cæsorũ hostium:

Interea fatis erepta neciq; superstes
Signa rapit Ductor; nam victor millia mucro
Dena quater mæstâ æternùm projecit arenâ,

Fuga reliquorum cũ Duce suo Husseimio,

At ter mille viris victrix Bellona pepercit;
Hos rapit, & tergo pontis supereminet alti,
Naufraga signa truces cùm jam rapuêre procellæ.
Haud puduit post fata fugæ; spumante per amnem
Fertur equo raptæ festinus in ardua rupis,

Camenecum versùs, quos Tyram equis

tranantes tū Poloni & Moldavi Equites per Tyram inſecuti Ductoribus Athanaſio Miaczynski & Georgio Ruſzczyc

Nec fuga cæde vacat; Lechicæ conſortia laudis
Amnis amat, ſociaſq; vovet decerpere baccas,
Communemq; ſibi palmâ cum Lechide palmam
Neptunus cupit eſſe, fugam ſuper amne coërcens.
Inſtat aquis innare cohors non torpida, frenis
Frena jugat, taboq; Tyræ vada Thrace colorat:

mergunt & Tyram cruentant;

Non illota nigro cadit hoſtia plurima Diti:
Bis pereunt, quoſcunq; neci mors ſurripit uni,
Seû dum ſollicito tacitus pudor enecat antro

Tum ſuperato amne oplent viam cæde hoſtiū: Alij inſtante Victore in Arce Chocimenſi quærunt ſalutē, ſed ab alijs Turcis nō admittuntur, ideòq; in ponte arcenſi alij cæduntur, alij de ponte altiſſimo præcipites aguntur, Chriſtophoro de Bohan, Stanisl Piotrkowczyk in præceps impellentibus.

Luctibus immiſtus; ſeû dum vagina rubeſcit.
Quin profugos Arx ipſa vetat producere vitam,
Dum ſuaſore metu munita repagula pulſat
Indomiti chalybis foſſæq; voragine præceps
Victima, ſublicij lapſu faſtigia pontis,
Præcipitiq; emenſa gradu. vix tanta ruenti
Biſtoniæ par foſſa fuit! pons ipſe fatiſcit,
Attonitæq; arcis gemuere ad funera turres.
Huc egit malè ſana volans ſuper agmina Miles
Et letho rabiem ferri prævertere ſuaſit,
Nevé ruant, immanè ruunt, pontemq; coronant
Aggeſto circum turbæ pereuntis acervo.
Sic rue, Threſſa lues, pavidiſq; elabere frenis;
Sit qui Theſſalicis, Oriens proſtrate ſub Arcto,
Æternùm indoleat fatis, unumq; revolvat
Mente diem, tragicis æquet qui ſæcula geſtis.
Et jam laurigeræ ferrum poſuêre cohortes,

XXVI. Prælium finitum;

Nec ſupereſt, quem tela petant, vel ſorbeat amnis;
Funera ſola patent, ac ubere conſita lauru
Fluctuat omnis humus, Belliſq; ſilentia Mavors
Indicit lituis: fluitant hoſtilibus arvis
Semineces artus, ſanieſq; refuſa Gelonûm:

Quies Victricium armorum:

Iam laſſum chalybem victrix vagina repoſcit,
Otia nervus agit, tepidamq; infuſus in herbam
Belligeris miles Lechicus reſpirat in haſtis:
Eluit uda Tyras madiduſq; haſtilia ceſpes.
In pronum devexa dies Phaëtonta vehebat
Declivem geminâ medijs ſuper axibus horâ:

Ad to-

Tres horæ ſuffecêre ad tantam hoſtium ſtragem!

Ad tot magnanimo palmaria funera Lecho
Terna triumphali ſuffecerat hora rotatu!
Odit Palma moras, facili quæ crevit Olympo.
Nec tamen exſangui conſtat victoria cenſu,

XXVII. Cæſi in conflictu ex noſtris,

Vel cruor Eôus Lechico ſine, ſerta colorat:
Palma viret patrio Thracumvé rigata cruore.
Sæpe quidem paribus conduntur proſpera fatis,
Æquaturq; lucris iactum, vel ubere damno
Læta meant, multoq; fluunt cum ſanguine palmæ;
Sed tamen haud Lechicum multo de vulnere nomen
Vel parili de ſtrage venit. Vix barbarus enſis

Ferè tantum centū quinquaginta.

Hauſerat Iſtulei ter quinquagena Gradivi
Nomina, & Edonius jacturæ nomen ademit.
Sat luet exilem funeſtâ labe ruinam,
Dum toto Mavorte ruit, cæſiſq; Lechorum

XXVIII. Encomium occiſorum è noſtro Exercitu,

Manibus Eôas tot ſtragibus immolat umbras.
Vixiſtis Lechiæ, vixiſtis amica Gradivo
Pectora, nec tantas urnæ piget indere dotes.
Nempe mori libuit poſt fata ſuperſtite famâ:
Vita cadit, ſed fama virens fert nominis ævum.
Vincere ſic præſtat, quàm vivere. Cedat honeſto
Vtile. Martis amor vivet, tumuloq; ſuperſtans
Gloria quæſitum decorabit Nomen in armis.

inter quos gloriosè occubuit Ioannes Zelecki, Achatius Piſarski, Ioannes Rzeczycki; Rogniatowski, Iwanowski Florian, May Vladislaus Nowowieyski, Tribuni militum, Magiſtri equitum, Signiferi & alij Officiales Caſtrēſes, & alij Nobiliſſimi Cōmilitones.

Vulneribus profluxit honos, & miſta cruori
Hoſtili defixa ſolo fluxêre trophæa,
Poſtq; necem vetuêre mori, aut ſquallere Sepulchro;
Seu vos Sarmaticæ decorârunt jura catervæ,
Aut Equitum regimen coluit, faſceſq; Tribuni,
Aut Aquilis innexus honos, à funere famæ
Vos prohibet, quin *ipſa iubet Mars vivere fata,*
Et Pharias Hecate compulſa incurrere noctes.

XXIX. Encomium vulneratorū in bello;

Nec ſolos pæane colit, quos Biſtone plumbo
Iuſſit, ut in Superûm ferrent Capitolia lauros,
Gradivo Libitina comes; ſed pulchra cicatrix
Vivere quos juſſit, quos gloria morte redemit,
Dans vitâ meliore frui, quêis ille ſororum
Ternio, dignatus fuſo potiore, decori
Staminis auget adhuc vitali pollice penſum;

Hos quo-

Hos quoq; læta canet resono vaga gloria cornu.
Et toto sinet Orbe frui; fastisq; Nepotum
Non feret emeriti Lethæa silentia Martis.

Inter hos Ill: Sapieha Præfectus Stabuli M. D. L. & Gubernator Derpatensis,

Nam roseo cervix stagnans SAPIEHANA fluento
Indidit Auroræ geminum cum clade ruborem,
Patritijsq; armis cruor hic encomia scribet.

& Præfectus excubiarum Stephanus Bidzinski.

Nec vobis geminos non urget fama jugales,
Quêis vigil excubias armorum gloria pulchro
Cum Mavorte dedit; vitæ discrimina præceps
Lapsus in abruptis, sed rectus in ardua laudis

alterius Excubitoris equus saucius,

Trames, vel quadrupes accepto vulnere famam
Pellæi prægressus equi, non surda canorum
Effluxisse sinet vestrum per sæcula Nomen.

Martinus Zamoyski Subdapifer Leopoliensis vulneratus,

Non ego transierim mutâ sine laude Camænâ,
Quem tractus victrice cruor de stirpe, nec ipsa
Vulneris ora tacent; nec grande silentia poscit

et Pincerna Siradiensis per loricā in pectore ictus. 9. Nou: in velitando Andreas Modrzewski.

Siradij Ganymedis epos: non sola Lacænas
Laus aget in fastos, ceû quas Lucina virorum
Esse velit Matres. hîc fixum nomine robur,
Pectoris objectu vel Spartæ mænia præstat,
Fixaq; Spartano sub pectore sphæra nitrato
Pulsa foco, revocat prisco Lacedæmona plausu.
Nec glans ima subit, sed adacto urbaniùs ictu
Summa cutis libat penitas venerata medullas.

Konarski Palatinides oculis grandem plumbeam in generoso assultu excipit:

Tu quoq; diffractâ crystallo frontis, & udâ
Luminis effossi viduatus ab Edone gemmâ
Patritios meritis sortite curulibus ortus
Lucem serò feres, fixusq; his laudibus Orbis
Argus erit. Reliquos calamo præcone cicatrix

Stanisl: Morszyn Subdapiter Chelmensis pedestri suæ legioni in vallum prædux sauciatur:

Haud caruisse feret, seû quam Chelmensibus armis
Heroum pars magna Daco sub sidere quæris,
Coclitis Hesperij cui tibia læsa triumphum
Occinet, & rectos figet per sæcula passus:

& Athanasius Miaczynski primus hostium aggressor 9. Novembris

Sêu cui ferrato Themesæum bractea cono
Fixit onus, Phario quam rupit acinace plaga,
Nec vetuit lorica sparum sub pectore figi,
Pectore, cûi aditus valli patuêre retrusis

In fera castra Dahis mox amnis in avia pulsis:

D. Kobylecki sæpius equo amisso in meta hosti, Thomas Zaleski Colonellus in pedis tibia læsus, Assuerus Heydopol, cui digiti pedis displosi

Seu cui cornipedum repetito vulnere, risum
Fata vel ipsa cient; seu cûi pede certior icto
Meta patet vel laudis iter, nec crure cruento
Debilior passu segnescit in ardua virtus.
Nec te Musa vetat victuræ inscribere chartæ
In volucres illise pilas, Assuere, revulsis
Planta triumphales digitis cûi indere gressus,
Nec dubios ævi decernit plaga decores

Remigianus Strzałkowski Venator Leopoliensis, post rem strenuè actam contra Turcas, etiam Scythis totâ hyeme gravis ab illis saucius.

Et tibi non vacuum palmæ Leoburgica plantat
Venatu Dea læta nemus, nec cassa decoris
REMIGIANE manus, seu te per Thracia raptat
Signa labor, Geticâq; nivem tibi cæde colorat,
Et lauru tibi bruma viret, teliq; cruentum
Passa stylum, renovat fixum pæana cicatrix.

XXX.
Encomium aliorum Bellatorum.

At cui cauta manus sparsit per vulnera lethum,
Nec sibi passa dari per tela reciproca plagam,
Carpito victrices in Martia tempora frondes,
Sêu Procerum permista globo sub murice splendes,
Quem dat Sidonio pudefacta curulis ab ostro,
Atq; Palatino miniavit purpura succo;
Sêu placet hostili tractus de sanguine murex;
Hic tibi perpetui surgent ex ære colossi,
Captaq; pendebûnt extincto Oriente trophæa.
Te serus canet usq; nepos, & præmia laudum
Digna feres, lætisq; diu cantabere sceptris,
Vel Capitolini pompas initura theatri.

XXXI.
Encomium Procerū, qui in hostē arma suaserūnt,

Sic equidem Virtus, sic famæ præmia pulchro
Munere functa manus lapsuris præcipit annis;
Nec linguæ suus absit honos, quæ vincere suasit,
Et primas in bella faces ingessit adacto
Fulmine, dum lentis instat Cunctatio cœptis.

præsertim Ill: ac Rev. Andreæ Olszowski nūc Primatis Regni, cujus illa Oratione: (*Transiimus Rubiconem, jacta est alea!*) & Pontificiâ benedictione

Hic *juvat arma calor, nec muto proficit ore:*
Exacuunt animos facundæ classica linguæ.
Et vetuit segnes Procerum sententia motus,
Dum gravior sacro radians in murice Nestor
Detonat OLSZOVIUS, Iuliiq; hortatibus instat:

animati nostri ad Squaravam.

Alea iacta manet: Rubiconem victa reponit
Ripa Tyræ: finem poscunt tam grandia cœpta.
Stat dubiis Mavors: utendum est iudice ferro.

Cygnū Materno Ill. insigne ex Gente Duninorum.

Sic geminat, Lechicoq; Iovi nova fulmina CYGNUM
Ferre jubet, Patrijsq; Aquilis præit Alite faustâ,
Præsuleæque Cruci felix innexuit omen.
Te tamen ante alios sublimi gloria curru
Regna super populosq; vehet; te Carpatus algens

XXXII. Panegyris Serenissimi Regis:

Per juga cana feret, super Acroceraunia tollens,
Et Latias Alpes, plenoq; choreumate plaudet,
Mite supercilium cùi subdit pronior Hæmus,
Emeriti lux prima Throni, cui scipio Regum
Prodromus, ut viridis toties effronduit arbos,
Et Procerum votis Solijsq; præambula pulchræ
Virga ferax Oleæ florentia sæcla reduxit
Scipiadûm præitura decus, virgamq; Promethei
Mercurijq; rudem, Latijq; arbusta trophæi.
Alciden Te Clava probat, quæ monstra coërcet
Bosphorio prognata freto, & rubigine ferri
Detersâ, faciem pretioso fulua metallo

Eius insignis Prudentia militaris,

Ætas auriferis superinduit æmula lustris.
Nam tibi fida comes vegetæ solertia mentis
Eventiq; probata fides, dubijsq; præire
Casibus, & tristes prævertere præscia lapsus
Longè centoculo quamvis oculatior Argo;

quæ bella cōficit:

Nec quid agant eventa, rudis; cautusq; futuri
Mars in te ratioq; viget. *Nam bella geruntur*
Non solâ feriente manu, sed pulchriùs illa
Solerti cum mente manus, vel acumen Vlyssis
Robusto Diomede comes, promptumq; potenti
In Duce consilium, mentisq; volatile pignus
Ingeniumq; sagax, ac innutrita Gradivi
Artibus indomitum spirans mens Martia pectus
Non dubio Mavorte gerit. Mens sæpe triumphat;
Et tutus Virtute dolus rem conficit. Armet
Mucro manum, ratioq; caput. Nam vincit inermis
Astus inerte manu. Ducibus prudentia belli
Dux esto, primasque gerat cautela; patebit

Lau-

Laudis apex, ubi parte sagax circumvolat omni
Ingenium, dum castra movet. Sic alea bello
Nec facies eadem, non hic foret exitus armis,

Ejus Operâ Daciæ utrinsqué arma ad nos transiêrunt:

Si Dacas acies Moldavia necteret hosti,
Et gemino quateret victricia Castra tumultu;
Vel junctos Tanais Geticos intenderet arcus

Ejus gladius Scytharum cum Turca impedijt conjunctionem:

Taurica, sive suas effusa Propontis habenas,
Et totas gelidæ Rhodopes vacuare pharetras;
Aut vellet famulâ in dominas sævire bipenni

Cosacorum vim cohibuit

Roxia cervices; dubio sed bellica Marti
Ars præijt, quâ Sarmaticæ in consortia Clavæ
Dacum, Istrumq; trahis pulchro securior astu
Victor, Memnonioq; intercipis arma Tyranno;
Mæotimque Tui compescuit ira Gradivi;
Et Getico cornu volucres in fata sagittas
Ire vetas; nec adhuc prior est obducta cicatrix,
Quam tulit Euxini Mavors vagus accola Ponti.
Sic Tibi mens & dextra novos stipulata triumphos,
Rex Arctöé, parat: nihil est, quod vincere tardet!

Apprecatio ex animi Sententia.

Perge Ducum Phœnix, totoq; Oriente subacto
Assere Lechiacis Bizantia Pergama terris.
Bella Sacrum comitatur epos, dat Classica Mavors,

XXXIII. Pæan triumphalis DEO Domino Exercituum:

Et læto pæane tonat, dum carmine Divos
Rite per arua colit, subitas affusus ad aras,
Intonuitq; polus sacro modulamine, vel quo
Æra sacris sinuata modis crepuêre, canorùm
Vel quo laurigeri sonuerunt ora Gradivi.

Sacra Hostia immolata eodem die in erepcis Hosti Castris,

Ara fuit, quæ Thracis erant tentoria Martis:
Castra sacros retulêre tholos, mollisq; profanum
Antè cubile Asiæ Romanis ritibus arsit.

Sub tentorio Ducis barbari, Husseimi Bassæ profugi.

Dux ubi, Barbarici textûs sua carbasa fixit
Sidonium benè pota jubar, Meröésq; superba
Ditibus exuviis Bizantitoq; pyropo,
Hic primò pæana tulit DEVS ipse, priorq;
Thacibus insedit castris post prælia victor,
In Cereris jussus tum Symbola sacra meare.
Gratior Empyreo post victum Victima Bessum

Absque

Abſq; cruore cadit, quo ceſpite plurima Diti
Cæſa mucrone, rubens excepit victima ferrum,
Barbarieſq; ſcelit Lechiæ Mavorte magiſtro
Pronùm afflicta ſolo Latium coluiſſe Tonantem,
Ac didicit ſubitas pronâ cervice ſub aras
Numinis affundi, poſitis dum corruit armis
Iſmarus, & fuſus, per funera Numen adorat.

Cerâ Orientis ad Aras collucente.

Ipſe etiam Sacris Oriens effulſit, & illæ,
Thermodoontiacis, Huſſeimius antè probroſum
Quas liquit profugus, luſtris arſére lucernæ,
Ac Threſſæ fluxére faces, & lumen Eoum
Concana cera dedit, micuitq; his ignibus ara,
Dum Cereale ſacris Numen ſe infunderet aris.

XXXIV. Præda & Spolia ex devicto Oriente.

Nec facinus malè penſat Eos prædivite prædâ.
Quas amnis Thrax fudit opes ac intulit Iſtro
Hoſpes Hebrus, viduam cenſu beat ubere gazam,
Iſtuleiſq; vadis fulvas permiſcet arenas.
Hic madidos aſſueta Ioves arcere gelato
Gange micant aulæa novos tectura Penates,
Sanguinis empta Tyro, Lechicoſq; ambire jubentur
Iure tholos: huic Thrace ſolo cæloq; creatus
Threſſâ ſtirpe tumens Bizantinoq; novali
Obtingit Sonipes; phaleris hic perſonat alter,
Quas Pharius ſuccendit onyx, curſumq; coërcet
Iaſpis in ore nitens, ardetq; monilibus armus:
Dorſa premunt crebro maculas diſtincta ſmaragdo
Vellera, paſſus acum Phrygiam quæ textus inaurat.
Illic meſſe graves ſubeunt Orientis, abactam
Per gibboſa Tyrum portantes terga Cameli;
Muli plauſtra vehunt haud notâ voce manuq;
Paſſa regi; turgens hic gazâ Perſide ſplendet,
Vel ſpolijs prærepta Rhodi, Cretæq; ſupellex.
Quid Phrygiæ fucos referam? quid vellera Serum
Biſtonijs intexta togis, Gnoſiaſq; pharetras,
Aut aurum, quod in arma fluens abſconderat enſes,
Et vada Pactoli ferratis illita contis,
Sulphureoq; tubo, vel deriſura vetuſtas

Pygma-

Pygmalionis opes recinam mirante Camœnâ,
Quæ laſſæ meritis dextræ Bellona ſpopondit?
Prædam palma refert, & lauro deſtinat aurum.
Et qui pauper Hebro, voluit vectigal ab Arcto,
Has luit ipſe vices, ac ſtrenua facta rependit.

XXXV. Chocimenſis arx per deditionem accepta auxit gloriã,

Nec ſatis eſt prædæ. Nam dum Chocimia noſtro
Pergama Marte timor pulſavit; & Arcticus horror
Corda quatit, validiſq; fidem metus abrogat auſis;
Eoum dare juſſa penu, nec fidere ſaxo.
Vivis maior ineſt vis mœnibus. Illa fatiſcunt?
Nec Babylon fidat, Tarpeiiq; æmula ſaxi:
Foſſa pavet, dum caſſa ruunt, muriſq; minantur
Vulnus hians; vel quæ vivum dant pectora murum,
Si pateant fatis, abeunt poſt agmina muri.
Hos etiam ſua fata manent, tumulantq; ruinæ:
Quævé Sinone dolus non ſubruit, eruit imis
Inditus in venis fomes, tacitoqué ſubintrans
Ætna dolo, ructantq; graves incendia moles.

non fiſa præſidio poſt ruinam ſuorum,

Extimuit poſt fata vices, renuitq; tonantes
Arx vigil igne globos, Lechicumq; accerſere Martem.
Ergo placet vitale jubar non Marte paciſci,
Aut arcis fato, fætæq; numiſmate gazæ;
Aſt arcem quatiente Lecho formido ſubegit
Et fatis cavére jugo, ac immane talentis
Effudére penu, prædiſq; auxére triumphos.

XXXVI. dedita in Feſto Beati Stanislai Koſtka,

Sic tibi Chocimios comes urget Enyo triumphos,
Dum reparat Titane diem tibi, KOSTVLE, fani
Romuleus radiantis honos: hic nectere quondam
Viſus es Arctoas ſudo ſuper æthere laurus,
Bis geminum frenare palàm Pyroénta per altæ
Suda plagæ juſſus, dum nubis in alite curru
Virgineos in Daca regis temone jugales
Pergama; ſed placuit Myſio repetita Trione
Laurea, quam primo Ducis anxia vota precatu
Commiſére tuis poſt primæ pignora palmæ
Nutibus Oſmani tumidos frangentibus auſus.
Et geminum ſinis ire decus, novitq; benignum
Te Lechiæ ſidus reſeratis Dacia portis,

ibidem olim viſi in curru triũphali cũ B. Virgine,

quem belli tutelarem Sereniſſimus Rex nuper Electus adoptárat Comite rurſum Victoriâ.

Choci-

XXXVII. Chocimias quam ferre jubes juga cælitus Alpes.
Fiat Fiat. Sic litui Pæanq; canit, repetuntq; Camænæ;
Fama canat reliquum, nec ituro celet ab ævo,
Lechiadæq; comam frondentia serta coronent.

APOSTROPHE PANEGYRICA.

Ad Serenissimum, Invictissimum, ac Potentissimum Regem Poloniæ

IOANNEM III.

AT Tu, quem patrijs Cæli præsagia Sceptris,
Et meritis innixus Honor, Patriæq; togatâ
Voce paludatis decorârunt fascibus arma;
Virtuti dotale decus, soliumq; capesse,
Sudoremq; bibat Regalis Purpura, Princeps.
Non satis est domuisse Getas Istrumq;, sed ipsa
Libertas etiam condit Regale Trophæum.
Parturit umbo Thronum, scutisq; attollitur ingens
Titus, & Ausoniæ volvuntur in arma secures.
Regna alibi Lucina tulit, vel munere cæcus
Error & abrepti studijs pugnacibus æstus;
Tu solium virtute paras: Tibi debita merces,
Quo radiat viduus virtúte satellite fastus:
Exciêrint veteres famæ præconia lauri,
Dulichiamq; tubam: décorum non orba deinceps
Lustra fluent, nescitq; Tuus segnescere mucro,
Dum petit Alciden, si cæsa repullulat Hydra.
Nec postrema hilari canitur victoria Phæbo,
Spondet adhuc majora Thronus: *graviora Camænas.*
Post hostem tormenta manent. Nam quæ opprimit hostem,
Ingenijs dulcem vis admovet alta catastam.
Sed succumbat epos magnis superantibus ausis,
Subq; lacertoso molimine Fama laboret,
Dum rursum succumbat Eos, ac ubere palmâ, &

Post

Pòst Tibi laurigeris distinguat tempora vittis.
Vive ac vince graves monstris poscentibus ictus,
Augustumq; refer Lechici clauso objice Iani.
Sub Duce si nuper gemuit; vel clade magistrâ
Regibus esse gravem discat fera Thracia dextram.

A. M. D. G. B. V. I. C. H.

& Divi MARTINI Turonensis, ac B. STANISLAI KOSTKA, sibi Sacro Die Victricem Militiam sospitantis.

